MASTER NEGATIVE NO. 91-80182-8

AUTHOR:

IBER, HEINRICH

TITLE:

DE VOLCATI SEDIGITI CANONE

PLACE:

MONASTERII

DATE:

1865

Master Negative #

91-80182-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

879Se28
DI

Iber, Heinrich
De Volcati Sedigiti canone. Dissertatio... quam ... defendet Henricus Iber... Monasterii, ex typographia Coppenrathiana, 1865.
48 p. 21 cm.

Thesis, Münster, 1865.

155819

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8/20/91 INITIALS RK
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

VOLCATI SEDIGITI CANONE.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XXVIII. MENSIS JANUARII A. MDCCCLXV

PUBLICE DEFENDET

HENRICUS IBER,

PRESBYTER MONASTERIENSIS.

MONASTERII.
EX TYPOGRAPHIA COPPENRATHIANA.
MDCCCLXV.

PARENTIBUS CARISSIMIS

HAS STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

SCRIPTOR.

De Volcati Sedigiti canone.

PARS I.

§. 1.

De Volcati Sedigiti vita perpauca nobis nota sunt. Aequalis fuit, quamquam aetate inferior, L. Attio et Aelio Stiloni, (cf. Madvig. Opusc. p. 107; Ritschel. Parerg. Plaut. Terent. p. 238, 240.) atque altero septimi saeculi dimidio u. c. floruisse et scripsisse videtur. Aequalium more multum in colligendis et recensendis poetarum operibus versatus judicium, quem dicunt canonem, de comicis poetis latinis proposuit, quod nobis est traditum. Apud Gellium enim N. A. XV, 24 legimus: „Sedigitus in libro, quem scripsit de poetis, quid de iis sentiat, qui comoedias fecerunt et quem praestare ex omnibus ceteris putet, ac deinceps, quo quemque in loco et honore ponat, his versibus suis demonstrat:

Multos incertos certare hanc rem vidimus,
Palmam poetae comico cui deferant.
Eum meo judicio errorem dissolvam tibi,
Ut, contra si quis sentiat, nil sentiat.
Caecilio palmam Statio do mimico.
Plautus secundus facile exsuperat ceteros.
Dein Naevius, qui fervet, pretio in tertiost.
Si erit, quod quarto detur, dabitur Licinio.
Post insequi Licinium facio Atilium.
In sexto consequetur hos Terentius.
Turpilius septimum, Trabea octavum optinet.
Nono loco esse facile facio Luscium.
Decimum addo causa antiquitatis Ennium."

§. 2.

In his versibus, quos ex emendatione M. Hertzii ed. Gell. Lips. 1853 reddidimus, plures inveniuntur varietates lectionum, de quibus accuratius agamus necesse est.

V. 1. Omnes codices exhibent: „videmus“, sed sine dubio metri causa cum Stephano, Gronovio, M. Hertzio corrigendum est: „vidimus“, quae lectio codicum lectioni similior videtur, quam lectio „videris“, quam praefert Jac. Gronovius et Osannus Anal. crit. p. 3.

V. 5. Cod. Guelf. et vett. edd. legunt: „Statio do comico“; probatissimus vero ille Reg.: „Statio do minico“ (sine dubio pro „mimico“) et Lugd. maj.: „Statio dandam minico.“ Quum v. 2 antecesserit „poetae comico“, non facile intelligas, qua de causa haec vox „comico“ repetatur, cui, ut recte dicit Gronovius, nullum inest momentum, quare „mimico“ vel „metrico“ mavult; sed lectionem „metrico“ nulla codicum auctoritate comprobatam genuinam habere non possumus. Quare „mimico“ cum M. Hertzio, qui optimos contulit codices, (cf. praef. ad ed. Gell.) legimus atque lectionem „comico“ vers. 2 hoc loco errore quodam repetitam ducimus vel ea de causa receptam putamus, quod librarius non intelligens, quo jure Caecilius dicatur mimicus, in textum recepit „comico“ vel in margine adscripsit, unde postea in textum ipsum irrepsit. Egregie autem convenire Caecilio vocem „mimico“ aptius alio loco demonstrabitur, quo de ingenio ejus agetur.

V. 7. Optimi codices teste Jac. Gronovio et vett. edd. exhibent: „pretio in tertio est“ vel „tertiost“, quare emendatio illa Stephani et J. Fred. Gronovii: „pretium tertium est“ non satis comprobata nobis videtur, et praebentibus omnibus codicibus lectionem: „pretio in tertio est“ vel „tertiost“ retinendam esse arbitramur cum Gryphio, Lione, M. Hertzio. Quam si retinemus, lectionem „servet“ nonnullorum librorum et Stephani, quia aptum sensum non praebet, et lectionem Valentis Acidalii „si quis erit“ auctoritate codicum omnino carentem falsas esse intelligitur, et perperam Jacob. Gronovius „qui ferret pretio in tertio est“, vel „qui ferret pretiom tertiom, est“ proponit. Quum vero in aperto sit, quam facile illa lectio „servet“ ex „fervet“ oriri potuerit, cum Gryphio, Joh. Fred. Gronovio, Lione, Hertzio „fervet“ sine ulla haesitatione in textum recipimus. Quod „fervere“ quam apte de Naevio usurpetur, suo loco exponemus.

V. 8. Legendum est: „si erit, quod quarto detur, dabitur Licinio“ auctoritate codicum Guelf. et quos contulit Gronovius comprobatum pro „si quid quarto detur“ vett. edd. vel pro „si erit, quod quarto; dabitur Licinio“ Stephani.

V. 10. Codd. Reg. Torn. Guelf. edd. vett. exhibent „consequitur hos“ omissa voce „loco“, melius autem metri causa cum Burmanno ad Anthol. lat. V, 1. pag. 411 et Hertzio legitur „consequetur.“

Ultimi versus lectio, quae invenitur, „antiquitatis causa“ fortasse ex correctione grammatica pro „causa antiquitatis“ orta est.

§. 3.

In hoc Volcati Sedigiti canone explicando quamquam multi viri et doctissimi versati sunt, tamen nondum satis in aperto esse videtur, quam rationem Sedigitus in hoc comicorum ordine constituendo secutus sit. Fuerunt etiam, qui omnino de tali ratione reperienda desperarint atque hoc judicium nihili fecerint, ut Rutgersius, qui Var. lect. IV, 19 „putidum et supinum“ judicium nominat, et J. G. Vossius, qui Inst. poet. II, 23 hoc unius viri judicium aliorum testimoniis facile vinci arbitratur. Sed Sedigito, quum a Gellio scriptoribus honore dignis adnumeretur atque a Plinio hist. nat. XI, 43, 99 „illustris in poetica“ nominetur, omnem fidem derogare viri probi et cauti mihi quidem non videtur.

Nostris igitur temporibus Ladevicius huic canoni explicando denuo operam navavit dissertatione, quae inscribitur: „Ueber den Canon des Sedigitus.“ Neostrel. 1842. Programm. schol. atque comicos latinos ratione imitationis Graecorum poetarum a Volcatio Sedigito in hunc ordinem redactos esse docere studet, ita quidem, ut comici minime Graecorum exemplaria sequentes locos obtineant superiores, inferiores vero, qui vestigia eorum magis presserint. Dicit enim l. c. p. 11: „Er ordnete daher die Dichter nach dem grösseren oder geringeren Grade von Originalität, die sie bei ihrer Arbeit gezeigt hatten.“

Qua in disputatione multa quidem et ingeniose et acute

dicta sunt, sed quaestionem aliquanto subtilius eum tractasse neque rem absolvisse non possumus quin putemus. Cf. Teuffel, Mus. rhen. VIII. p. 26. Accedit, quod antiquorum testimonia de canonis poetis nimis neglecta sunt, quae sine dubio permagni propterea sunt habenda, quoniam de vita scriptisque plurimorum perpauca tantum restant, ex quibus de eorum poesis natura et indole judicari vix posse, facile quisque videat.

Nos vero fundamentum ordinis comicorum, quem Volcatius Sedigitus hoc in canone constituit, in concitatione τοῦ πάθους vel affectuum positum censemus, ita quidem, ut illi comici, quorum comoediae his commovendis insignes viderentur eoque consilio, ut animos spectatorum commoverent et tenerent, conditae essent, ceteris, quibus alius esset finis in conscribendis fabulis, hoc canone praeferantur. Neque quemquam fore speramus, qui hanc rationem Sedigiti admiretur, si illud πάθος et quod ei opponitur τὸ ἦθος in omni litterarum artiumque genere quantum valuerit, consideret ita quidem, ut omnia opera ex eo, quod vel τὸ ἦθος vel τὸ πάθος praecipue expressa habeant, ἠθικά vel παθητικά dici possint. Quodque nobis gravissimi momenti in hac nostra disputatione videtur, Varro teste Charisio II, 215 inter comicos latinos idem discrimen statuit eosque in duas partes divisit, quarum una τὸ ἦθος, altera τὸ πάθος exhiberet. Hac de re fusius disserit O. Jahnius: Berichte und Verhandlungen der sächsischen Gesellschaft der Wissenschaften. 1850. II, p. 107.

Sed jam in vim et usum τοῦ ἦθους et τοῦ πάθους, in quibus tota nostra disputatio fundata est, diligentius inquiratur necesse est, et quo tutiores hanc inquisitionis viam ingrediamur, ad antiquos fontes recurramus.

§. 4.

Aristot. Poet. VI, 7 ἦθος et διάνοιαν proprias iis ait, qui aliquid faciunt, tum pergit: „διὰ γὰρ τούτων καὶ τὰς πράξεις εἶναί φαμεν ποιάς τινας“, tum §. 8: „τὰ δὲ ἤθη, καθ' ἃ ποιούς τινας εἶναί φαμεν τοὺς πράττοντας,“ et §. 24: „ἦθος τὸ τοιοῦτον, ὃ δηλοῖ τὴν προαίρεσιν, ὁποία τις.“ —

Ait ergo Aristoteles τὸ ἦθος indicare institutum, volun-

tatem intimamque animi conditionem, in qua omnes hominis actiones nituntur atque ex qua quasi ex fonte suo profluunt; ut verbo dicam, ἦθος significat, quod nos dicimus characterem hominis, qui exprimitur et apparet moribus. Idem Dionys. Halic. Ars rhetor. X, 1; XI, 13.

Quintil. Inst. orat. VI, 2, 8: „ἦθος, cujus nomine, ut ego quidem sentio, caret sermo romanus, mores appellantur: atque inde pars quoque illa philosophiae ἠθική, moralis est dicta. Sed ipsam rei naturam spectanti mihi non tam mores significari videntur, quam morum quaedam proprietas; nam ipsis quidem omnes habitus mentis continentur“, atque ut idem dicit l. c. VI, 2, 13: „in quo (ἦθος) exprimendo summa virtus ea est, ut fluere omnia ex natura rerum hominumque videantur, quo mores dicentis ex oratione pelluceant et quodammodo agnoscantur.“

Ex hoc vocabulo substantivo derivatum adjectivum ἠθικόν significat id, quod mores habet vel exprimit. Legitur apud Cicer. top. 26, 29: „morata narratio“ cf. Quint. l. c. IV, 2, 64; Cic. de div. 31, 67: „poema moratum“, in quibus omnibus id agitur, ut quam proxime accedant ad eorum mores, quorum fit mentio. Horat. Art. poet. 319 exhibet „morata fabula recte“, quem ad locum Schol. Acron. adnotat: „morata fabula, in qua mores singularum personarum optime exprimuntur.“ Unde ἠθολόγοι (vel βιολόγοι) nominabantur, qui mores, gestus, motus, actiones aliorum hominum exprimendas curabant. Cf. Cic. de orat. 2, 59.

Satis jam apparebit, eas fabulas dici ἠθικός, quae inprimis ingenium, indolem, mores hominum exprimere student atque expressas habent, unde iis tranquillitas quaedam et placida quietaque constantia propria est; quare a Romanis statariae dictae sunt. Cf. Müller: „Geschichte der Theorie der Kunst bei den Alten.“ II, p. 156.

Ut mare quietum et placidum, sic etiam animus commoveri potest et perturbari, quas quidem animi motiones Graecis πάθη dictas Cicero perturbationes vel morbos animi nominari vult. Cf. Cic. Tusc. III, 4, 7. Ad naturam et vim

τῶν παθῶν cognoscendam hoc loco, quae idem Cicero Tusc. IV, 5, 10 docet, addere liceat:

„Quoniam, inquit, quae Graeci πάθη vocant, nobis perturbationes appellari magis placet quam morbos, in his explicandis veterem illam quidem Pythagorae primum, dein Platonis descriptionem sequar, qui animum in duas partes dividunt: alteram rationis participem faciunt, alteram expertem: in participe rationis ponunt tranquillitatem, id est placidam quietamque constantiam, in illa altera motus turbidos tum irae tum cupiditatis, contrarios inimicosque rationi.“ Cf. Cic. de fin. III, 10, 35; Orat. 37: „παθητικόν, quo concitantur animi et perturbantur.“

Quint. Inst. orat. VI, 2, 20: „Diversum, inquit, est huic (ἤθει) quod πάθος dicitur, quodque nos affectum proprie vocamus, et, ut proxime utriusque differentiam signem, illud comoediae, hoc tragoediae simile. Haec pars circa iram, odium, metum, invidiam, miserationem fere tota versatur.“ Cf. idem VI, 2, 12: „πάθος concitat, ἦθος mitigat.“

Qua ex definitione τοῦ πάθους facile apparet, eas fabulas dici παθητικάς, quibus id inprimis agitur, ut rebus vere tragicis vel comicis personarum in scena agentium, inopinatis dictis factisque animi spectantium commoveantur ac cupiditate vel timore vel hilaritate accendantur.

Quamquam autem in comoedia, quum, ut Cicero dicit, sit speculum quotidianae vitae, τὸ ἦθος principalem habet locum, tamen etiam τὸ πάθος in ea adhibetur, si affectus animi plerumque ex natura comoediae gaudii et hilaritatis sunt exprimendi et non ἤθη tantum servantur, sed etiam haud raro πάθη commoventur, ut Horatius dicit Art. poet. 94.

„Interdum tamen et vocem comoedia tollit,
Iratusque Chremes tumido delitigat ore.“ [1])

Quam commotionem affectuum, si in comoedia petitur, eo praecipue consequuntur comici poetae, ut facetis jocis,

[1]) Quod praecipue de Terentio propter ejus fabulae Heaut. personam Chremetem dictum putamus. Si autem Terentius, quem inprimis τὸ ἦθος expressisse postea videbimus, interdum τὸ πάθος movet, non sine causa suspicari videamur, saepius ab aliis comicis expressum esse.

dicteriis, cavillationibus, sermone incitatiore, rebus mire suspensis, hilariter solutis risum excutiant spectatoribus, hilaritatis gaudiique affectibus, quibus rudem inprimis plebem delectari et nunc cognoscimus, auritam caveam teneant. Ex indole hujusmodi fabularum et fine consequitur, magnam actionis et sermonis celeritatem et vehementiam quandam in iis adhibendam fuisse, ut numquam spectatoribus animum demittere daretur; quare tales comoediae a Romanis m o t o r i a e dictae sunt. Cf. Evanth. de trag.; Donat. ad Terent. Adelph. prol. 6; de motoria: Donat. ad Phorm. Andr. Eun.; de stataria Eugraph. ad Heaut. prol. 36. Latinis autem poetis qua de causa praecipue τοῖς πάθεσιν commovendis vel motioni sensuum et affectuum studendum fuerit, jam paucis ostendamus.

§. 5.

Graeci summis ingenii dotibus instructi artes ingenuas maxime colebant, Romani vero propter morum gravitatem ingeniique illud genus, quo quae afferrent utilitatem plerumque respiciebant, consuetudinem Musarum diu vitabant. Nam quaerentes, quod prodest, omnes artes negligebant, ex quibus neque sibi neque rei publicae emolumentum fore sperabant. Non igitur mirum, quod deficiente benigna artis scenicae vena tam sero inter Romanos hujus generis poetas exstitisse videmus. Neque vero est omittendum, initia ludorum scenicorum apud Romanos inveniri praecipue in festis agricolarum, quae lusibus, carminibus canticisque choricis celebrata veteres scriptores docent. cf. Horat. Carm. III, 18; et Schol. Carm. saec. Ovid. Fast. III, 657; Virg. Georg. I, 335 et 695. Sed haec initia ob ingenii ruditatem excolere negligebant et ad Graecos potius, unde argumenta sibi sumerent, se convertebant, quamquam Graecorum operum virtutes: summa sententiarum elegantia, personarum ingenii et morum mirabilis quaedam descriptio a Romanis, quum procul abessent ab eruditionis gradu Graecorum, non ex omni parte intelligi et justo aestimari poterant.

Quo ex discrimine ingenii et eruditionis Graecorum et Romanorum elucet, non idem poetis utriusque populi in con-

scribendis suis fabulis fuisse observandum, si sui populi favorem capere vellent. Graeci enim eruditi virtutem fabulae non tam ex sensuum, quem praebebat, affectu, quam ex descriptione justa morum atque ex serie nexuque rerum et actionum fabulae, ut omnes inter se aptae colligataeque viderentur, censebant, quare eorum poetae arti sufficere summopere studere debebant; latini vero poetae, quum non coram erudito populo, sed rudi plebe agerentur fabulae, quae magis delectari, quam erudiri volebat, hunc sibi proponebant finem, ut commotione sensuum et affectuum spectatores tenerent, (vel moverent τὰ πάθη). Hac de re egregie disserit Ladevicius Mus. Rhen. III, p. 180: „Auch ohne dass es uns ausdrücklich berichtet wird, müssen wir annehmen, dass die Dichter ihren Zuschauern entgegen kamen, die attischen Speisen mit römischen Zuthaten würzten, um sie ihnen erst mundgerecht zu machen. Da nun die Römer damals bereits den Saturis und den Atellanen Interesse abgewonnen hatten, so liegt die Vermuthung sehr nahe, dass die römischen Komiker anfangs ihre fabula palliata diesen rohen Possen möglichst näherten, also die Anlage des griechischen Drama nur in Umrissen beibehielten, Charakteristik und Oekonomie aber hintansetzten, um durch derbe Spässe, arge Obscönitäten, Prügelscenen, Verwickelungen, die weniger den Charakter der feinen Intrigue, als mehr den der gemeinen Chikane trugen, die Lachmuskeln der Römer in Bewegung zu setzen." Quod poetarum studium commovendi affectus quum ex comoedia tum ex tragoedia cognoscitur.

Comici enim latini novam comoediam Atticam secuti sunt non solum, quod eo tempore, quo Graecarum rerum cognitio Romam pervenit, hoc comoediae genus in Graecia vigebat, sed eam praecipue ob causam, quia vetus comoedia propter publicae vitae descriptionem (cf. Horat. Sat. I, 4, 1.) Romae non tolerabatur legibusque prohibebatur, media autem comoedia, quae illuderet artes literasque a Romanis non intelligebatur. (cf. Köpkius, Zeitschrift für Alterthumswissenschaft 1835 Nr. 153, p. 1230.) Nova vero comoedia Attica Romanorum conditioni maxime conveniebat, quae ad vitam vulgarem deflectat, res amatorias et obscoenas facete tractet, instituta publica, magistratus, leges publicamque vitam non nisi obiter perstringat. Quae argumenta fabularum enarrat Terent. Heaut. prol. 37—40; Eun. 36—40; Alciph. lib. II, ep. 4, 51—54; Wag. Fronto Epigr. II in Anthol. Graeca III, p. 56; cf. Köpk. l. c. p. 1232. Quam imitantium comicorum prima esse debebat cura, si plausum multitudinis capturi essent, ut spectatoribus risum excuterent atque novarum mirabiliumque rerum inventione eorum animos tenerent, minus curantes veram et justam descriptionem naturae animique humani ac singularum scenarum justam dispositionem, quales erant in Graecorum comoedia. Unde duri et obscoeni joci, dirae servorum castigationes, confusio illa, qua res ex diversis comoediis petitae in novam congerebantur, quo comoedia latina, non dico virtute et arte, sed affectu proficeret. Quam rem Terentius, magnus ille comicus poeta Romanorum, bene perspexit querens fabulas statarias non placere Romanis. cf. Heaut. prol. 35; Köpkius l. c. Nr. 155, p. 1242.

Neque solum comici, sed etiam tragici commotionis affectuum rationem habebant. Nam qui tragoedias conscripserunt poetae latini, inprimis fabulas Trojanas, quae Romanis primae innotuerant, tractandas sibi sumpserunt, quarum eas potissimum elegerunt, quae gravitate, atrocitate argumenti animos tenere possent. Matricidium, infanticidium Eumenidum, Alcmaeonis, Cresphontis, Melanippes, Medeae, immolatio virginum, qualis habetur Polyxenae, Erechthidarum, Andromachae, Jphigeniae prae ceteris in scena agebantur et libentissime spectabantur. cf. Mommsen. H. R. I, 890. Quare et fieri non potuit, quin poetae, quem affectibus commovendis inprimis studuisse scimus, Euripidis potissimum tragoedias latine verterent vel imitarentur. Itaque de tragoedia latina summo jure Bernhardyus Hist. litt. lat. p. 378 dicit: „Sie (die Tragoedie) war von einem hohen bis zur Schwachheit gesteigerten Pathos beseelt, nicht aber ein idealer Schauplatz für den Zwiespalt zwischen Furcht und Nothwendigkeit. Diesen Standpunkt der Moral und pragmatischen Gesinnung begünstigte das schauende Publicum, indem es sein Gefallen an hochpathetischen Scenen und pikanten Stellen, die mit politischen Meinungen der Zeit sich berührten, lebhaft

äusserte, solche Stellen sogar durch die Schauspieler wiederholen liess." (cf. Cic. de off. I, 28; Lael. 7; de fin. 5, 22; pro Sext. 56, 57, 55, 118)

Sed jam reliquum est, ut aliam quaestionem tangamus, num Volcatius Sedigitus revera unam tantum rationem et normam in constituendo canone secutus sit. Possit forsitan aliquis suspicari, illum non unam regulam, ex qua unicuique poetae pretium et honorem statuit, sibi proposuisse, sed diversas, ut Varro ap. Nonium p. 374, qui propter argumentum Caecilium, propter sermonem Plautum, Terentium propter personarum morum descriptionem primo loco posuit; ita, ut quo quis graviore fabulae parte excelleret, eo majore eum haberet honore et omnes, qui hac parte essent insignes, primis collocaret locis; qui vero minus gravi eminerent, inferiorem iis concederet locum. Quae si ita essent, quo jure Terentius, magnus ille poeta, quem tota antiquitas summis effert laudibus ob multas virtutes et gravissimas, (de quibus postea) quo, dico, jure Terentius in sextum tantum referretur locum atque aliis poetis, quorum nihil fere nisi nomina cognita habemus et quorum rarissima apud veteres est mentio, posthaberetur? Quae difficultas hoc uno tantum modo mihi quidem dissolvi posse videtur, ut Volcatium Sedigitum poetas omnes ex una tantum lege (quae ei satis apta et gravis videretur) mensum esse statuamus atque hac ratione iis locum attribuisse, quo quisque dignus videretur. Hanc igitur rationem in constituendo canone comicorum latinorum a Volcatio Sedigito adhibitam esse putamus, ut *τὸ πάϑος* vel commotio sensuum et affectuum sit regula, ex qua quisque comicorum obtineat locum. Quod in altera disputationis parte erit demonstrandum. Quare de singulis comicis quae exstant grammaticorum veterumque scriptorum testimonia, nobis erunt colligenda, inter se comparanda, explicanda, ex quibus de eorum pretio judicari possit. Singulos igitur viros ex ordine canonis in judicium vocabimus atque primum, quae veteres de unoquoque tradiderint, tum quae ex fabulis vel fragmentis (si quae adsunt) ad nostram sententiam comprobandam erui possint, exponemus.

PARS II.

1. Caecilius Statius. [1]

De Caecilio Statio complura veterum testimonia nobis servata sunt. C i c e r o bis Caecilii mentionem facit:

1) de opt. gen. or. I, 2 dicens:
„Caecilius fortasse summus comicus", cui Ciceronis judicio simillimum est Velleji Paterculi H. R. I, 17, 1.

2) ad Att. VII, 3, 10:
„(Caecilius,) — malus enim latinitatis auctor est."

V a r r o n i s duo extant testimonia:

1) apud Charisium p. 215 ed. Putsch.: „*ἤϑη* ,ut ait Varro de latino sermone (c. 5.) nulli alii servare convenit, quam Titinio, Terentio, Attae; *πάϑη* vero Trabea et Attilius et Caecilius facile moverint."[2]

2) apud Nonium p. 374:
„In argumentis poscit palmam Statius", cui simillimum Volcati Sedigiti.

H o r a t i u s ep. II, 1, 59:

„Dicitur
Vincere Caecilius gravitate, Terentius arte."

Q u i n t i l. Inst. orat. X, 1, 99:
„Caecilium veteres laudibus ferant."

Ciceronis de opt. gen. dic. I, 2 et Velleji Paterculi et Quintiliani judicium in universum de Caecilio agit atque nihil aliud,

[1]) De Caecilio Statio cf. I. Becker:
„Zu Caecilius Statius" in Philologo IV. Iahrg. 1849, p. 78.

[2]) Ritschel. Parerg. Plaut. Terent. p. 194 legendum putat: „moverant" et hosce poetas aetate enumeratos vult cum Neukirchio de fab. tog. p. 215 ut posteriores: Trabea, Atilius, Caecilius sint majores natu.

nisi auctoritatem et honorem, quibus fruebatur poeta, ostendit; quod quum nihil ad nostram sententiam illustrandam probandamque conferat, omittere et jam ad Varronem transire licet. Qui diligentissimus antiquitatis investigator primo loco Caecilium ob πάθη, quae commovere sciat, laudibus effert et Terentio opponit, cujus ἤθη laudat.

Ex his, quae antea de vi atque natura τῶν ἠθῶν et τῶν παθῶν disputavimus, consequitur, Caecilium, cui l. c. πάθη attribuantur, inprimis valuisse animis spectatorum commovendis excitandisque affectibus atque ea ipsa re, quamquam ceteris rebus inferior esset (ut postea videbimus) Terentium superasse, cujus ἤθη laudantur, quippe qui in hominum ingeniis moribusque depingendis inprimis versetur. Unde jam facile concludas, τὰ πάθη haud parvi fuisse momenti in constituendo nostro canone; cetera de Caecilio testimonia quomodo cum hac laude reconcilientur, videamus.

Varro apud Non. 374 Caecilio laudem argumenti prae Terentio et Plauto tribuens dicit:

„In argumentis poscit palmam Statius, in ἤθεσιν Terentius, in sermonibus Plautus.“

Terentii ἤθεσιν quum hoc loco argumenta, priori πάθη opponantur, argumenta et πάθη de uno eodemque viro ab eodem laudata Varrone diversa inter se esse nemo sibi persuadebit, sed vinculo quodam conjuncta videntur. Argumentum quid sit, docet Quint. Inst. orat. V, 10, 9: „Nam et fabulae ad actum scenarum compositae argumentum dicuntur. Quo apparet, omnem ad scribendum destinatam materiam ita appellari“, quod Aristoteles modo μῦθον, modo τῶν πραγμάτων σύνθεσιν nominat.

Argumenta comoediae latinae ex nova Graecorum petita jam supra docuimus, quibus quum in amorum praecipue lusibus et vitae vulgaris ambitu versarentur, id facile efficiebatur, ut spectatores idem cum illis, qui in scena agerent una et sentire et agere sibi viderentur. Itaque quum Caecilium πάθεσιν excelluisse cognoverimus atque iis commovendis maxime studuisse, Varro si argumenta Caecilii laudat, sine dubio nihil aliud dictum vult, quam Caecilium materiam comoediae ad affectus

excitandos aptam elegisse eamque ita instruxisse et ornasse, ut artificiose implicitis rebus suspenderentur et hilare solutis delectarentur animi spectantium. Neque tamen profecto contenderim, ingenia et mores personarum, si quis animos spectantium vel legentium velit oblectatione tenere, prorsus negligi posse, sed unicuique facile perspectum erit, personas in scena agentes, quamvis summa arte ingenium moresque delineentur, nunquam in misericordiam vel amorem vel odium spectatorum venturas esse, nisi earum vitae et rerum conditio ita sit instructa, ut eos, qui adspiciant, commoveat. Qui igitur poeta latinus animos oblectare vellet, id inprimis quaerere debebat, ut haberet argumentum natura sua jam idoneum ad commovendos animos, mores vero bene describere secundo loco ei erat propositum. Quibus autem argumentis homines maxime delectari solent? Non, puto, mere fictis et talibus, quae a veritate et hominum ratione et consuetudine omnino aliena sint, sed iis rebus maxime attentum animum eos habere existimo, quas, quamvis sint detortae et perversae, tamen saepius inter homines spectare licet, et quae hominum sermonibus factisque sunt depravata vel detorta summopere animos plebejos commovere solent. Si igitur argumentum Caecilii laudatur, eam ab causam id factum arbitror, quod hic poeta tales comoedias scripsit, quae, quum res et personae, quae agebantur, ab hominum vitae conditione non tam essent alienae, ut spectatores tales existere vel saltem facile existere posse cognoscerent, oculos, aures, mentes facile delectatione obtinebant, ut verbo dicamus, Caecilium ob veritatem argumenti a Varrone praedicatum fuisse.

Venimus ad Horatium, cujus testimonium est gravissimum, quod non tam ipsius, quam aequalium profertur. Dicit enim Ep. II, 1, 59:

„Dicitur
Vincere Caecilius gravitate, Terentius arte.“

Ut recte, quae Horatii de Caecilio fuerit sententia, judicare possimus, statuendum est, quid vocibus „gravitate“ et „arte“ significare voluerit poeta. Gravitatem et artem quum sibi oppositas hoc loco videamus, sine dubio altera ad materiam vel argumentum, altera vero ad formam referenda est;

atque quod ars cernitur verborum metrorumque elegantia et praestantia, fabulae concinna dispositione, praeclara morum descriptione, (quae de Terentio laudata veterum testimoniis postea videbimus,) gravitas est proprietas materiae ita electae et instructae, ut lectores vel spectatores suo pondere, ut aiunt, medias rapiat in res. Hac de interpretatione hujus loci quum omnes Horatii interpretes nobis assentiantur, non est, cur fusius de hac re agamus; firmatur autem haec vocabuli gravitatis vis nostro loco eo praecipue, quod et jam antea Caecilium argumentis et πάθεσιν excelluisse cognovimus et quod Cicero hanc gravitatem, quam et oratoribus inesse vult, in eo consistere docet, ut audientium animos permoveant et secum trahant. Cf. Cic. Brut. 88; Orat. I, 53.

Sedigiti de Caecilio judicium:

„Caecilio palmam Statio do mimico"

quam simile sit judicio Varronis apud Non. 374 facile intelligas et liceat forsitan conjicere, Sedigiti testimonium ante oculos Varroni versatum fuisse. (Cf. p. 18.) Sed utut res se habet, utrumque virum idem de Caecilio sentire et judicare facile in confesso erit; Sedigitus autem eo, quod addit „mimico" Varronis judicium accuratius explicat, et jam quaerendum est, num apte et merito dicatur Caecilius mimicus.

Mimus dictus a Graeco μιμεῖσθαι et μίμησις eo praecipue nititur, ut quam accuratissime hominum sermones, actus, gestus eosque inprimis, qui ridiculi videntur et habentur, imitetur ad hominum captandum risum. Unde ei permultas res, quippe quae delectationi aptae haberentur, insertas invenimus, ita ut Ovid. Trist. II, 497 mimos nominet „obscoena jocantes" et ibid. 513: „imitantes turpia." Cf. Valer. Max. II, 6, 7. Diomed. II, p. 488; Quint. Inst. orat. VI, 3, 8; Jos. Lydus I, 41.

Finis igitur mimi quum esset, ut risum extorqueret spectatoribus, (quare personae, quae mimum agebant, saepe γελωτοποιοί nominantur,) ad vim augendam res quam maxime ridiculae proponerentur, adeo deformius depingerentur necesse erat, quod et Cic. de orat. II, 59 indicat: „Mimorum est ethologorum, si nimia est imitatio." Argumentum hujus ludi de vita vulgari desumptum erat. Evanth. fragm. de trag. et

comoed. dicit: „Illud vero tenendum, mimos dictos esse a diuturna imitatione rerum et levium personarum." Cf. Donat. fragm. de comoed. Diomed. III, 487. Ob imitationem vitae vulgaris species quaedam comoediae, ob humilitatem vero argumenti mimus inferior comoedia habebatur, ut mimum, qui in verae genera poesis referretur, Horatius indignum judicaret. Satir. I, 10, 6.

Si igitur Sedigitus Caecilium „mimicum" nominat, proprietatem peculiarem ei vindicare atque nihil aliud confirmare vult, nisi illum in comoediis conscribendis propius ad mimi naturam et humilem et vilem accessisse. Caecilium autem a mimo non abhorruisse testimonio Gellii N. A. II, 23, 11 hisce verbis enucleate demonstratur: „Praeter venustatem autem rerum atque verborum, in duobus libris nequaquam parem, in hoc equidem soleo animum attendere, quod quae Menander praeclare et apposite et facete scripsit, ea Caecilius ne qua potuit quidem conatus est enarrare, sed quasi minime probanda praetermisit et alia nescio quae m i m i c a inculcavit et illud Menandri de vita hominum sumptum simplex et verum et delectabile nescio quo pacto omisit." Ex hisce id effecisse nobis videmur, Caecilium ad commovendos animos et risum excutiendum mimicis quoque rebus fabulas suas instruxisse; quod qua alia de causa eum fecisse arbitremur, nisi ut finem illum πάθη commovendi consequeretur?

Quae natura poesis Caecilii cognoscitur ex fragmentis, in quantum ex iis judicium efferri potest. (Cf. fragmenta comicorum ed. Ribbeck. p. 29—69) Horum inprimis, quod memoretur dignum videtur, fragmentum 1. Ploc. l. c. p. 49, „in quo, ut ait Gellius II, 23, maritus senex super uxore divite atque deformi querebatur, quod ancillam suam, non inscito puellam ministerio et facie haud inliberali, coactus erat venundare suspectam uxori quasi pellicem." Ejusdem fabulae videas fragm. 2. l. c. p. 53, quo loco maritus senex cum altero sene colloquens uxoris locupletis superbiam deprecatur, quos ad versus Gellius II, 23, 13 dicit: „Caecilius vero hoc in loco ridiculus magis, quam personae isti, quam tractabat, aptus atque conveniens videri maluit."

Postquam igitur fabularum Caecilii argumenta vitae hominum quotidianae et veritati convenientia et ita instructa, ut facile benevolos et attentos haberent spectatores, cognovimus, omnium de Caecilio judicia hisce paucis verbis complecti possumus:

Veritate et gravitate argumentorum Caecilium omnibus praestare.

Haec nostra sententia si vera et recta est, satis patebit, Ciceronem quoque eadem, qua ceteros causa permotum esse, ut Caecilium summum comicum laudaret, de opt. gen or. I, 2: „Itaque licet dicere et Ennium summum epicum poetam, si cui ita videtur, et Pacuvium tragicum et Caecilium fortasse comicum.“ Quam laudem Caecilio non deberi propter stili elegantiam et dictionis, idem Cicero disertis verbis docet Brut. 74: „Caecilium et Pacuvium male locutos videmus“ et epist. ad Att. VII, 3, 10: „Secutus sum, non dico Caecilium — malus enim latinitatis auctor est“ —. Haec sententia plurimum lucis affert verbis s. Hieronymi ep. ad Pammach. 101: „Terentius Menandrum, Plautus et Caecilius veteres comicos interpretati sunt.“ Nam poetae novae comoediae Atticae, ut Menander, valebant praecipue arte et describendis moribus hominum et ingeniis; — quo Terentium quoque inprimis valuisse postea demonstrandum erit, — Plautus autem et Caecilius, quamquam, ut omnes comici latini, vestigia premebant novae comoediae Atticae, eam ob causam veteres comicos interpretati dicuntur, quod et sibi, ut illis, propositum censebant, ut delectatione et voluptate afficerent sensus spectantium, id est, ut τὸ πάθος commoverent. Summo igitur jure, si haec respicias, Plautum et Caecilium interpretatos dici veteres comicos concedas.

2. Plautus.

Secundus nostri canonis exhibetur Plautus, gravissimus ille Romanorum poeta, de quo multa variaque judicia apud veteres scriptores inveniuntur. Priusquam uberius de eo disseramus, illa testimonia, ut fundamenta quasi nostrae disputationis jaciamus, colligenda et proponenda videntur.

Varro apud Nonium dicit p. 374:

„In sermonibus Plautus poscit palmam“,

idem apud Quintil. Inst. orat. X, 1, 99:

„Licet Varro, Musas Aelii Stilonis sententia Plautino (dicat) sermone locuturas fuisse, si latine loqui vellent.“

Cicero de off. I, 29, 12:

„Alterum (genus jocandi) elegans, urbanum, ingeniosum, facetum; quo genere non modo Plautus noster et Atticorum antiqua comoedia, sed etiam philosophorum Socraticorum libri referti sunt.“

Horatius tribus locis Plauti mentionem facit:

Ep. II, 1, 58: „Dicitur
Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi.“

ibid. v. 171:

„Adspice, Plautus
Quo pacto partes tutetur amantis ephebi
Ut patris attenti, lenonis ut insidiosi,
Quantus sit Dossennus edacibus in parasitis,
Quam non adstricto percurrat pulpita socco:
Gestit enim nummum in loculos demittere, post haec
Securus, cadat an recto stet fabula talo.“

idem art. poet. v. 270:

„At nostri proavi Plautinos et numeros et
Laudavere sales, nimium patienter utrumque,
Ne dicam stulte mirati.“

Huc accedit Volcatius Sedigitus:

„Plautus secundus facile exsuperat ceteros.“

Judicia igitur de Plauto quam inter se differant, facile intelligis, quum inprimis Horatius vituperet, quod alii laudent. Quamquam sane Horatii, rei poeticae peritissimi, summa ratio habenda est, tamen dicendum, hosce viros, quorum diversa de uno eodemque poeta miraris judicia, diverso tempore vixisse et scripsisse. Vivebat enim Horatius aetate Augusti, qua amor artium litterarumque Romanorum animos impleverat et

litterae tutela imperatoris ingeniosi florebant atque maximo erant in honore, atque neminem, quantum in litteris Romani sub finem septimi et initio octavi saeculi p. u. c. profecerint, effugere potest; quo factum est, ut Plautini sales et numeri, qua primum excepti sunt admiratione et summa laude, demum eruditissimo Augusti saeculo exciderent. Quid igitur mirum, si vir aetatis Augusti eruditissimus de veterum scriptis longe aliter cogitat atque aequales ipsorum multaque, quae antea laudabantur, in iis reprehendenda reperit? Quam ob causam Horatii, suae aetatis poetarum defensoris et acriore dente antiquos poetas persequentis, quamquam melioris, severum de Plauto judicium hic omittere possumus; de antiqua vero et communi, quae etiam Horatii aetate inter homines minus litteratos valebat opinione nobis agendum et judicandum erit.

Aelius Stilo et Volcatius Sedigitus praeter ceteros, quum saeculo septimo litterae magno studio coli coeptae essent neque pauca ingenii documenta exsisterent, ea colligere, conservare commentariisque instruere ingrediebantur; Varro autem, qui postea de poesi latina scripsit, eorum commentarios et scripta in manibus habebat Cf. Ritschel. l. c. p. 92 et Gell. III, 3. Unde sine dubio nobis concludere licet, Volcatium Sedigitum, idem quod Varro, qui eadem fere aetate viveret cujusque de Caecilio judicium simillimum sententiae Sedigiti cognoverimus, disertis verbis de natura et indole poesis Plauti tradit, cogitasse neque omnino diversum habuisse judicium. Cum Varrone enim et Aelio Stilone sine dubio sermonem latinum Plauti admirabatur Volcatius Sedigitus et quum unam tantum rationem in constituendo canone eum secutum esse cognoverimus, (p. 10) quaeritur, quibus rebus commotus Plauto secundum locum assignaverit. Hac in quaestione non offendat nos Horatius, qui jocos Plautinos, quos Cicero de off. I, 29, 12 laudat, Art. poet. v. 270 acerbissime vituperat aliaque ei ep. II, 1, 171 objicit, quae tamen, quum ex ipsius Horatii sententia profluant neque id agatur, ut, quo jure hae reprehensiones fiant, exponamus, sed quodnam Sedigiti et aequalium de Plauto judicium fuerit, omittimus; illud vero, quod profert Horatius ep. II, 1, 58, quoniam non ipsius, sed commune et aequalium habetur judicium, gravissimi nobis est momenti. Legimus enim l. c.:

„Dicitur
Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi.“

Quo de versu multa ac diversa prolata sunt judicia, quae enumerare longum est. Falsa est eorum sententia, qui Epicharmum exemplar Plauti ita fuisse credunt, ut Graeci poetae argumentorum et artis rationem sequeretur. Nam Epicharmi comoediae magnam partem rebus divinis et philosophia nitebantur; in Plauti vero comoediis hujusmodi res tam rarae inveniuntur, ut hoc sensu Epicharmus exemplar Plauti dici nequeat. Maxime autem nobis arridet eorum sententia, qui ob actionis celeritatem atque impetum quendam, quo animi spectatorum abripiantur, ut ipsi vel inviti in scena agentes vel gaudio vel timore vel miseratione prosequantur animoque maxime suspenso solutionem fabulae exspectent, Plautum ad Epicharmi exemplar properare volunt. Qua arte quamquam Epicharmum excelluisse disertis veterum verbis probare non possumus, tamen tota ejus Musae indole, comoediarum reliquiis testimoniisque de ejus gloria consideratis, nihil nostrae opinioni obstare putamus. Veterum judicia de comoediis Epicharmi uberius recensuit Grysar.: De Doriensium comoedia quaestiones, Col. 1828 p. 170 sq. Unde recte Mullachius fragm. philos. Graec. dicit p. 134: „Quod autem antiquitatis studiosorum judicia secutus Horatius lib. II, epist. I, v. 58 scripsit, Plautum ad exemplar Siculi properare Epicharmi, non eo spectat, quo plerique volunt. Neque enim fabulas ejus expressit Plautus, sed pro ea, qua excelluit, ingenii celeritate et magnitudine multas comoedias cum singulari laude properanter, ut Graecus poeta, composuit. Ergo non imitatione, sed natura duce, Plautus gloriam Epicharmeae similem consecutus est“

Haec interpretatio verborum Horatii quam bene conveniat Plautinarum comoediarum naturae, testis sit nobis Beckerus: de comicis Rom. fab. p. 58, cujus verba egregia nobis addere liceat:

„Properare autem Plautus cur dicatur mihi neque obscu-

rum est neque dubium. Quancunque enim considero fabulam video nulla interposita mora, sed indefesso impetu paene nisu ad exitum properari, ut nunquam remittere detur spectatoribus vel lectoribus animum. Quin in sermonibus quoque atque illis etiam, quibus mora interdum interponitur actioni, nescio quam mirari me dico calidiorem rerum agitationem et praecipitem festinationem, quae nusquam patitur consisti, ut nihil rectius dici putem, quam properanter agi omnia. Quare recte Sanadonum Horatii verba explicasse puto." Cf. Bernhard. in Ersch. et Grub. encycl. s. v. Epich.: „Dies properare beziehen die meisten willkürlich auf Stil, Form und Lebhaftigkeit des Plautus; vielmehr liegt darin ein Zug der comoedia motoria, welche den Bühneneffect durch ein rasches Exponiren von dramatischen Elementen und Characteren erzielt." Cf. Orell. edit. Horat. ad h. l.; Baehrius: Hist litt. lat. §. 41. — Ladevicius hoc judicium de sermonum vel dialogi vivacitate sola intelligi vult. l. c. p. 41; item Lorenzius: „Leben und Schriften des Koers Epicharmos" Berol. 1864, p. 215; quae sententia, quamquam omnino falsam esse ostendere non possumus neque audemus, tamen quaestioni abunde satisfacere non videtur. Similiter Horatius Homerum laudat hisce verbis: „Semper ad eventum festinat", Art. poet 148. — Hujus igitur loci sensum si recte capimus, Horatius propter fabularum argumenta et sermonis habitum, personarum rerumque tractationem et nexum Plauto eandem quam Caecilio laudem commovendi animos vel τοῦ πάθους vindicare hisce verbis voluit. Sed quum multae Plauti fabulae nobis sint traditae, inquiramus necesse est, num re vera haec indoles fabulis Plautinis insit et, quoniam hoc loco omnes recensere non possumus, unam: „Militem gloriosum" breviter perstringamus, quamquam, ut plane perspiciatur, quale fuerit ingenium Plautinum, fabulae ipsae attento animo legendae sunt.

Hujus igitur fabulae argumentum in eo versatur, ut femina quaedam Philocomasium militi Pyrgopolinici, qui eam Ephesum deduxerat, eripiatur, sponso suo restituatur milesque ipse puniatur. Primo actu Pyrgopolinices cum satellitibus et parasito Artotrogo in scenam prodit et insolentissime

de rebus suis incredibilibus bello gestis gloriatur, dum parasitus coenae cupidus (v. 32 edit. Ritschel.) ejus amentiam et vanitatem adjuvat commemorans ab hero totas legiones difflatas spiritu (v. 17); septem millia hominum uno die ab ipso occisos; v. 42—46; 52. — Neque solum fortitudinem suam jactat miles, sed etiam eximia sua pulchritudine omnes mulieres teneri somniat et stulte et comice Artotrogo, qui ei blanditur hisce verbis: (v. 58)

„Te omnes amant mulieres, neque id injuria,
Qui sis tam pulcher",

respondet: (68)

„Nimiast miseria, nimis pulchrum esse hominem."

Quod colloquium personarum, quarum una cupidine gloriae et vanitate ridicula tenetur, unde, ut Artotrogus dicit v. 93:

„Is ridiculost, quaqua incedit, omnibus",

altera vero cupidine bonae coenae illectus (v. 33—35, 49) omnis gloriae obliviscitur, vere comicum habetur et ita est instructum, ut spectatores jam a fabulae principio indignationis et hilaritatis affectibus teneantur.

Quum interim servus Pyrgopolinicis Sceledrus Philocomasium, quae ei custodienda tradita erat, pariete perfosso egressam et cum Plausicle, sponso et hospite Periplecomeni vicini congressam de tegulis esse viderit, Periplecomenus et Palaestrio consilia ineunt (Act. II, 2), ne hoc factum Pyrgopolinici nuntietur neve quae facienda sibi proposuerunt, in irritum cadant. Quod eo se consecuturos esse sperant, ut Sceledro, cauto quidem sed minus perspicaci, persuadeatur (v. 227): „Quae hic sunt visa, ut visa non sint, facta infecta uti sient." Quod consilium lepidum et comicum Act. II, 3 summa delectatione spectantium exsequuntur et callidus Palaestrio Sceledrum, qui initio oculos falli potuisse negat, cogit, ut confiteatur v. 407: „Nihil habeo certi, quod loquar; non vidi eam, etsi vidi"; atque quum Philocomasium, quam foris esse putat, in lecto cubantem inveniat, non dominam ipsam, sed mulierem ei simillimam, quae apud vicinum versari ei nuntiata est, se vidisse persuaderi sibi patitur. Eodem modo a Periplecomeno fallitur et supplex veniam petens, quod tegu-

las confregerit et hospitae injuriam fecerit, fatetur se fuisse excordem, caecum, incogitabilem (v. 543), et maximum malum meruisse (v. 547, 561, 567).

Quae omnia et lepide instituta et comice peracta quantopere placuerint oculis auribusque spectatorum, quanta attentione animi et commotione affectuum quantoque risu et applausu excepta sint, vix dicere possis. neque dubium, quin omnia ita sint electa et descripta, ut rudis Romanorum multitudo ridere atque inde voluptatem capere posset.

Quibus peractis jam consilium habetur de Philocomasio Periplecomeno surripienda ipsoque puniendo Act. III, 1, 765, atque praesertim ab eo inde tempore, quo insidias militi glorioso parari cognoscimus, summa attentione animi actionem prosequimur gaudentes temeritate, qua „nepos Martis et Veneris“ (1265) periculis et poenae obviam eat. Postquam sc. 2 Sceledrum ebrietate impeditum esse, ne Philocomasium custodiat, comperimus, sc. 3 Acroteleutium quomodo se mulierem Periplecomeni et amore captam esse Pyrgopolinicis simulet, facete instruitur. Omnibus hoc modo provisis Palaestrio Act. IV, 1 domino dat annulum, quem arrabonem amoris ab uxore Periplecomeni ipsi tradendum se accepisse simulat; qui miles temere et stulte statim gloriatur, quod milites ad Seleuci regnum tuendum mittat simulque amore inflammatus cum Palaestrione, qui eum monet, ut suam potius quam Seleuci rem curet, volutat, quomodo dimittat Philocomasium, ejusque amor insanus jocose augetur per Milphidippam servam. Postquam ad consilium perpetrandum sc. 4 Pleusicles, sponsus Philocomasii habitu nauclerio, ut tempore dato verbis matris in nave exspectantis Philocomasium arcessat, ornatus est, sc. 5 Pyrgopolinices summo gaudio affectus narrat, sibi contigisse, ut Philocomasium, a qua maxime se amari somniat, (v. 1202) ad iter in patriam suscipiendum commoverit, atque praeter multa dona Palaestrionem ipsum ei se donasse, qui quasi tristitia perculsus exclamat: (v. 1206)

„Etiam me? quo modo ego vivam sine te?“

Sc. 6 Acroteleutium in scenam prodiens simulat, se non animadvertere in proximo versantem Pyrgopolinicem, amorem suum pronuntiat timoremque, ne repudietur. Simulatque vero militem adspicit, collabitur, quo fit, ut Pyrgopolinices ipse ejus domum intrare constituat. Interim Pleusicles sc. 7 venit, ut Philocomasium ad navem ducat, et sc. 8 Philocomasium animo flexo et fracto a Pyrgopolinice discedit, qui ipse vehementissime commovetur et Palaestrionem, a quo ipso insidiae ei erant structae, libertate data, in discessu lacrimantem et querentem v. 1343: „Heu, heu nequeo quin fleam,

Quum abs ted abeam.“

bono et aequo animo esse jubet.

Post discessum igitur Philocomasii et Palaestrionis puer venit sc. 8 ab Acroteleutio missus, ut Pyrgopolinicem ad se adducat. Sed o dementem! o miserum! Periplecomenus cum Carione et Lorariis jam diu exspectat hominem illum scelestum: corripitur omnibusque, quae sperarat, destitutus indigne vapulat, misere lacrimat.

Si igitur ad ea, quae breviter exposuimus, respicimus, huic primum fabulae multas res insertas esse videmus, quae non tam ad descriptionem morum, quam ad delectationem et commotionem affectuum inprimis rudis multitudinis aptae sunt. Nam miles ille quanta temeritate et vanitate turget, quantae ineptiae in ejus et verbis et factis! Quam ridiculus, quaqua apparet et loquitur! Atque Palaestrio dictis et rebus comicis quantum delectat auditores! Quam ridicule luditur Sceledrus! Quam ingeniose et lapide fallitur Pyrgopolinices ab Acroteleutio! Atque inprimis in exitu fabulae quantam affert delectationem et gaudium miles vapulans! His autem rebus hanc comoediam non subtili genere comoediarum adnumerandam, sed eam propius accedere ad genus levium illarum fabularum putemus, quarum est, minus observata arte et morum descriptione, scurrilibus et ludicris dictis et rebus delectare spectatorum rudium aures et oculos. Ne denique dicamus de jocis et dicteriis, quibus saepissime animi concitantur, considerantes fabulae dispositionem neminem fuisse in cavea putamus, quin summa attentione animi ab uno actu ad alterum, ab una scena ad alteram festinaret, quin vi comica concitaretur, quin modo affectibus odii indignationisque in stultum,

loquacem, scelestum militem, modo affectibus timoris, ne consilium Palaestrionis succederet, modo affectibus gaudii, quum tam temere agentem et loquentem militem periculis obviam ire animadverteret, modo affectibus hilaritatis praecipue ex scurrili natura Palaestrionis amentiaque Sceledri exortae corriperetur et expleretur. Addere liceat, quae de hac fabula legimus Mus. Rhen. VIII, p. 57:

„Wir eröffnen mit dem miles gloriosus die Reihe der gewöhnlichen Intriguenstücke, in denen natürlich weder die Characteristik der Personen, noch der Einfluss des Zufalls ausgeschlossen ist, beides aber nicht wie in der Aulularia und in den Menaechmen vorherrschend, sondern im Gegentheil durch eigentliche Erfindung und Verwicklung der Fabel in den Hintergrund gedrängt ist. Dem miles ist noch ausserdem eine possenhafte, etwas karrikirte Färbung gegeben; denn so erfindungsreich auch die Einfälle des Palaestrio sind, so viel Geschick und Schlauheit alle handelnden Personen entwickeln, so viel fast seiltänzerhafte Kaltblütigkeit im Momente der Gefahr, wo ihre Kühnheit sie bis an die äusserste Grenze des Wagnisses geführt hat, sie behaupten, so wären doch alle diese Künste nicht fein genug, um auf einen normalen Character zu wirken, sondern wir finden sie etwa auf eine ganz frazzenhaft ausstaffirte Persönlichkeit berechnet. Nur einem solchen gegenüber war der Knoten der Intrigue, die Werbung der vermeintlichen Frau des Nachbars möglich; nur ein bis zur Carrikatur eitler Narr konnte die so stark aufgetragenen Schmeicheleien des Palaestrio und der Milphidippa für etwas anders als Spott nehmen. Und so ist dieses Stück neben einem vortrefflichen Arrangement, neben dem lebendigsten Ineinandergreifen der Scenen und neben einem grossen Reichthum humoristischer Einfälle und schalkhafter Situationen, die durch die geschickte Charakteristik des gemüthlichen bon vivant Periplecomenus nicht wenig unterstützt werden, doch auf so viel Albernheit basirt, dass wir es nicht zu den feineren Lustspielen, sondern zu den dem Gebiete der Posse verwandten rechnen müssen." — Merito igitur Plautum in hac fabula commotionis affectuum maximam rationem habuisse eamque vere esse παθητικήν censemus. Non eodem modo Terentius suas fabulas composuit, et quamquam in iis multa praeclara inveniuntur, tamen ejus personae minus ridiculae et stultae videntur, ejus dictio, quamquam est elegans, tamen non tanta jocorum copia et facetiarum est referta, ejus fabularum dispositio, quamquam arte, tamen non ea ratione est instituta, ut animos rudium spectatorum suspensos teneat; quibus omnibus rebus fit, ut nisi in artem fabulae dispositionis et actionis vel in egregiam personarum ingenii et indolis descriptionem intendas animum, molestae facile videantur et frigescant.

Eadem autem est indoles omnium fabularum Plauti (cf. inprimis Cas., Epidic., Pseud., Truc., Mostell.), quare recte de ingenio Plautino dicit Bernhard. Hist. litt. Rom. p. 386: „Da Plautus dem komischen Ton in seiner rein volksthümlichen Haltung erst Zugang verschaffen musste, so traten Zartheit und feine Charakteristik (Ethopoïe) und Strenge der Oeconomie zurück, an deren statt zahlreiche Mittel der Lachlust und Verwickelungen des sonst durchsichtigen Planes durch ihre Naturtreue fesseln. Hierin erscheint er fast objectiv: er führt einen kecken Gedanken mit leidenschaftlicher Lust durch und erschöpft die Listen oder Schwächen seiner ergötzlichen Charaktere, worunter Sclaven und Parasiten ihm am meisten zusagen, wenig bekümmert um ein Ebenmass in den dramatischen Kräften oder um die Forderungen der Moral. — Die Seele des Ganzen ist aber der beweglichste Witz, das Kennzeichen der echten plautinischen Manier, dessen üppige Schlagkraft mit unbeschränkter Laune in den mannigfachen Richtungen seines Ausdruckes, in Wort- und Bilderspielen, besonders in dem Muthwillen der Charaktere sich äussert und seine Comödien selbst als einen unmittelbaren Erguss seines Witzes erkennen lässt." Cf. Cic. off. I, 29. Macrob. Sat. II, 1.

Huic nostrae de Plauto sententiae quam bene congruat illud s. Hieronymi jam supra (p. 16) diximus.

At si Caecilius et Plautus iisdem πάθεσιν insignes erant, cur secundus locus Plauto concedatur, quaeri potest. Scimus

praeterea, Plautum sermonis et linguae latinae elegantia adeo insignem fuisse, ut quisquis emineret latinae loquendi facultate cum eo saepissime compararetur. cf. Gellius N. A. VII, 17; Quint. Inst. orat. X, 1, 99. Hanc rem evidenter disceptare non possumus, quod Caecilii integras comoedias non superesse dolemus. Sed si suspicioni locus detur, obscoenitate jocorumque majore petulantia Plauti, quae quidem haud raro urbanitatem excedunt, vel quod vi comica humilior Caecilio haberetur, permotum fuisse Sedigitum putemus, ut eum secundo loco collocaret. Ladevicio autem l. c. censenti eam ob causam Caecilium Plauto praepositum esse, quod ille et comoedias togatas scripsisset, quas Plautus non fecisset, eam dubitationem afferre possumus, hujus rei Sedigitum minime potuisse et debuisse habere rationem, quia hoc canone eos tantum recenset comicos, qui comoedias scripserunt palliatas.

3. Naevius.

De Cn. Naevii vita et comoediis et ingenio perpauca nobis tradita sunt. Ex quibus tamen, qualis ejus Musae natura et indoles fuerit, perspicitur atque ratio apparet, quae ei fuerit cum Caecilio et Plauto.

Cic. de orat. II, 16 ejus stilum „rectum et simplicem" dicit.

Horatius Ep. II, 1, 53:

„Naevius in manibus non est et mentibus haeret
Paene recens? Adeo sanctum est vetus omne poema."

Quod Horatii judicium magnam ostendit auctoritatem, qua fuit Naevius apud ejus aequales, et ironia quadam haec dicta vides. At non Horatii ipsius, sed aequalium et proavorum sententiae nobis hac in re credendum et hoc poetae ipsius Venusini judicium praetermittendum.

Gellius N. A. III, 3, 15: „Sicuti de Naevio quoque accepimus, fabulas eum in carcere duas scripsisse: Hariolum et Leontem, quum ob assiduam maledicentiam et probra in principes civitatis de Graecorum poetarum more dicta in vincula Romae a triumviris conjectus esset. Unde post a tribunis plebis exemptus est, quum in his, quas supra dixi, fabulis delicta sua et petulantias dictorum, quibus multos ante laeserat, diluisset." Quam rem respicit Plautus Mil. glor. II, 2, 56 (211). Ex his, quae Gellius l. c. refert, efficitur, Naevium magna fuisse animi acerbitate et amaritudine, ut non dubitaret mores et facta vel principum civitatis castigare et odio persequi. Qui animi acerbi vehementissimus impetus elucet ex fragmentis quoque, quorum famosissimum illud de Scipione a Gellio N. A. VII, 8, 5 conservatum memoratu dignum videtur:

„Etiam qui res manu magnas saepe gessit gloriose,
Cujus facta viva nunc vigent, qui apud gentes solus praestat,
Eum suus pater cum pallio ab amica abduxit uno."

S. Hieronymus ep. ad. Pamm. p. 101 de eo loquitur (cf. p. 16.).

Si porro teste Macrobio Sat. VI, 2 Virgilius Naevium imitatus est praecipue in tota tempestatis descriptione (Aen. I, 81 sqq.) et in effingendis Veneris precibus Jovisque promissionibus (cf. Aen. I, 223 sqq.), cur hoc factum putamus, nisi quod exemplari suo animi ardorem et motum quendam inesse arbitrabatur? Quam aliam, quaero, invenias causam, cur vestigia Naevii iis potissimum presserit locis, quibus elatus animus et incitatus verba faceret necesse erat?

Hunc igitur ob animi ardorem et vehementiam eum a Volcatio Sedigito in tertio canonis loco positum additumque „qui fervet" putamus. Nam eum fervere dicimus, qui magnis commotionibns incitatur et impetu trahitur et perturbationibus vel affectibus est obnoxius. Cujus notionis vocabuli fervendi multa afferri possunt exempla. cf. Cic. Brut. 108: „oratio fervidior." Ovid. Fast. 2, 732; Metam. 2, 602. Horat. Od. IV, 2, 7, quo quidem loco, ut hic Naevius, fervere dicitur Pindarus:

„Fervet immensusque ruit profundo
Pindarus ore."

Omnibus igitur testimoniis de Naevio servatis id exploratum habemus, fuisse eum alacri et incitato animo ejusque ingenium affectibus et cupiditatibus multis servisse. Quare recte dicit Bernhard. Hist. litt. lat. p. 382: „Die dramatischen Bruchstücke zeugen von Lebendigkeit und kecker oder doch naiver Dar-

stellung.“ Quam ob rem nemo miretur, tali ingenio instructum poetam summa indignatione et odio eos persecutum esse, in quibus, quae reprehenderentur, inveniret.

Summo igitur jure concludere nobis videmur, Naevium, cujus alacritatem animi et ardorem cognovimus, in componendis comoediis vires intentas suas habuisse, ut πάθη, quibus ipse fervebat, in spectatoribus quoque vel lectoribus fabularum inflammaret et animi perturbationes omnibus pingeret et expoliret artis coloribus. Valken. igitur ad Theocr. Adon. II, p. 163 dicit: „Permulta (παθητικά) suspicor in Naevii fuisse fabulis.“ Quae πάθη quum a Caecilio quoque et Plauto observata jam antea intellexerimus, merito cum illis confertur Naevius et hos tres poetas artiore quodam cognationis vinculo sese conjunctos habere docet Volcatius Sedigitus. Nam illa verba v. 8: „Si quid“ . . . novam sine dubio inducunt sententiam neque forte nomina poetarum trium primorum in principio, secundorum vero in fine versuum posita suspicamur; qua re, si quid sapimus, Caecilium, Plautum Naeviumque a reliquis, qui sequuntur, poetis Volcatius Sedigitus sejunctos vult. — De causis hujus separationis et divisionis canonis postea uberius disputare in animo est.

Sed jam quaeritur, qua ratione Sedigitus hos tres primos poetas contulerit ac cuique suum dederit locum.

Omnibus his tribus poetis simplicitas quaedam naturalis et alacritas joci et irrisionis insita est, qua et comoediam antiquam insignem fuisse scimus; omnes, ut his, quae antea disseruimus, evicisse putamus, πάθη commovere studebant. Dispari tamen via et ratione, ut hunc assequerentur finem, utebantur, unde disparem etiam obtinent canonis locum. Nam Naevius, ut satis ex ejus comoediarum reliquiis et veterum testimoniis liquet, studio illudendi et acerbissime invehendi in aequalium vel principum vitia et ferventi dictione hominum mores actionesque describendi vel irridendi valet, qua certe ratione magnae spectatorum partis et plebis, quae castigandis vitiis cavillationibusque delectari solet, voluntatem et applausum sibi peperit. — Plautus, homo ignobili loco natus et adultus, rusticitate jocorum et insolentiis verborum multitudinis animos tenere studuit neque graviter dictis, qualium antiquam comoediam non pudebat, homines atque res perstringere dubitat. (cf. Trin. II, 2, 39; IV. 3, 21; Curc. IV, sc. 1. Pers. I, 2, 10; Amph. II, 17—24, 209—312; prol. 35—37; 75—80; Rud. prol. 14. alia.) — Caecilius denique acriori ingenio talem sibi sumpsit materiam atque argumenta ita arte disposuit, ut per se ipsa ad commovenda τὰ πάθη apta et idonea essent atque illis adjumentis extraneis et adventiciis, qualia a Plauto et Naevio inprimis adhibita videmus, ei non esset opus. Ratio igitur dictionis et argumenti cuique assignat locum et honorem.

Hac ex re jam perspicuum erit, cui major comoediae laus sit habenda; nam Caecilii comoediam, in cujus argumento eligendo et tractando magna ingenii dexteritas cernatur, ad majorem perfectionis gradum pervenisse, quam comoedias Plauti et Naevii, in quibus multas res adhibitas invenimus ad delectationem et voluptatem afferendam spectatoribus, quae vi et arte vere poetica carent, non est, cur probemus. Quum igitur primum et summum poetam dicit Sedigitus Caecilium, infimum Naevium, comoediae latinae, qualem hi tres viri exercebant, historiam ita nobis proponit, ut, quomodo a studio illudendi et irridendi progressi poetae argumenta ad πάθη commovenda appetiverint aptiora cognoscamus. Quare illi poetae inverso atque vivebant, ordine in nostro canone nominantur, quod quaeque ars pedetentim perficitur.

Quorum virorum, quos memoravimus, si poesis naturam diligentius investigamus, omnes libertate plures confundendi fabulas usos esse negari non poterit. (Cf. Grauert: Ueber das Contaminiren der latein. Comiker. Mon. 1833 in hist.-phil. Analect. p. 116—207.) Caecilium quidem plures Graecorum fabulas in unam conjunxisse neque reliquiis neque veterum disertis verbis facile ostendas, tamen verisimillimum est, quod in Graecorum comoediis vertendis magna libertate et addendo et demendo eum versatum fuisse a Gell. N. A. II, 23 traditum habemus; Plautum confudisse comoedias Terentius prol. Andr. 18 cf. prol. Adelph. docet, et Ladevicius l. c. summo ingenii acumine probavit; Naevium denique confusione non abstinuisse Terent. prol. Andr. 18 aperte dicit, Gellii testimo-

nio N. A. III, 3 fragmentisque fabulae Harioli confirmatur. Quamquam vero hi comici conjunctionis libertate usi sunt, tamen eam rarius ab illis adhibitam esse ob ipsorum ingenii fecunditatem credibile habetur eosque ea quidem elegisse, quibus non tam mores depingerentur, quam animi et affectus spectatorum commoverentur. Nam callide et acute quibus rebus potissimum plebs delectari posset perspicientes multa sane in graecis exemplaribus, quae sequebantur, omittenda reperiebant, quae Romanorum moribus non convenienter essent dicta neque per legum severitatem in scena agi permitterentur, multo plura commutanda ob spectantium ingenii inbecillitatem. Nam ne dicam de arte scenica, qua Graeci maxime delectabantur, quam vero Romanorum multitudo eo tempore animo percipere non poterat: non tanta Graecorum et morum et vitae publicae et privatae cognitio ad Romanos pervaserat, ut quae graeca in scena agerentur, bene perspicerent et recte cognoscerent. Est autem ea hominum animi conditio, ut ex iis, quae extra suam sentiendi et cogitandi provinciam sita sint, voluptatem omnino non capiant vel minimam saltem. Quo recte cognito comici latini non Atheniensium, sed potius Romanorum vel Italorum mores, quantum per leges et magistratus licebat, in comoedias suas intulerunt. Quanto studio id elaboraverint Caecilius, Plautus Naeviusque, ostendit G. A. Schroeder: dissertationes tres de Romanis moribus palliatae fabulae immixtis. Mariae-insulae 1833, 1837, 1853 Progr. — Hoc inprimis perspicere licet ex Plauti comoediis, quibus praeclara vitae privatae illius temporis proponitur imago et perversitates et temeritates, quales erant in Romanorum vita, lepide ante oculos ponuntur. Neque tamen hi comici hunc sibi proposuerunt finem, ut hominum mores et ingenia bene perscriberent egregiamque hominum, quos inducebant, naturae descriptionem primam suae comoediae partem habebant, sed quaecunque inserebant e vita privata vel publica desumpta, antea omnia ad commotionem affectuum composita et instructa erant atque in animis eo perducendis versabantur, ut spectatores una cum iis, qui in pulpitum inducerentur, agere vel pati sibi viderentur. τὰ πάθη igitur princeps horum poeta-

rum, quo tendebant, finis erant atque eo inprimis ab aliis, qui hos in canone Sedigiti sequuntur, differunt, quod ad hunc ipsum finem assequendum res et conditiones e Romanorum vitae vulgaris ambitu quaesitas fabulis suis immiscebant, quibus quum cognitae essent spectatoribus, facillime et maxime animos voluptate et delectatione affici credebant. Sed jam ad reliquos transeamus.

4. Licinius.

De iis, quos memoravimus, poetis multa nobis testimonia et judicia veterum relicta cognovimus, sed eorum, qui sequuntur in canone, excepto Terentio, poesis indolem et naturam accurate definire difficilius est, quod eorum vita et scripta nebula quadam opprimuntur.

Plures ejusdem nominis Licinii poetae inveniuntur, quorum unus tantum comicus perhibetur. Gellius enim N. A. XIII, 22 dicit: „Licinius Imbrex vetus comoediarum scriptor fabula, quae Neaera inscripta est, ita scripsit: „Nolo ego Neaeram te vocent, sed Neriënem, Cum quidem Marti es in connubium data.“ — Livius XXXI, 12 mentionem facit Licinii cujusdam cognomine Tegulae, cui, ut carmen piaculare faceret, demandatum narrat, quod anno 553 p. u. c. (201 a. Ch) factum scimus.[1] Qui Licinius Tegula idem fuisse videtur, quem Gellius l. c. Imbricem nominat, (quod et Vossio aliisque placet) quum utrumque vocabulum Imbricis et Tegulae eandem habeat significationem.[2] Quae res si ita se habet, haud temere concludi potest, Licinium non ignobilem fuisse poetam, nam sine dubio malo poetae et non probato tale componendum carmen demandatum non fuisset publice.

Qui hunc in canone Sedigiti sequitur poeta

[1]) Livius quoque Andronicus octo annis ante simile carmen componere jussus est. Cf. Livius XXVII, 37.

[2]) Ritschel. Parerg. p. 197 sub duobus his nominibus unum tantum poetam latere, parum probabile habere videtur, sed non satis firmis argumentis.

5. Atilius

tragoedias et comoedias composuit, ceterum haud magna ejus gloria fuisse videtur. Nulla nisi Ciceronis et Varronis de eo judicia habemus. cf. Ott. Ribbeck. l. c. p. 27.

Cicero de fin. I, 2 dicit: „Synephebos ego potius Caecilii aut Andriam Terentii, quam utramque Menandri legam? A quibus tantum dissentio, ut, quum Sophocles vel optime scripserit Electram, tamen male conversam Atilii mihi legendam putem; de quo Licinius ferreum scriptorem, verum, opinor, scriptorem tamen, ut legendus sit.

Idem Cicero ep. ad Att. 14, 20:

„Suam cuique sponsam, mihi meam;
Suum cuique amorem, mihi meum.

Non scite: hoc enim Atilius poeta durissimus",

atque Tusc. IV, 11 unam ex ejus comoediis affert dicens:

„Quae autem sunt his contraria, ea nasci putantur a metu; ut odium mulierum quale in μισογύνῳ Atilii est."

Ejusdem nominis comoediam composuit Menander, quam ex more poetarum illius temporis ab Atilio conversam verisimillimum putamus. cf. Meinck. in Men. rel. p. 115.

Restat, ut gravissimi nobis de Atilio testimonii Varronis mentionem faciamus dicentis: „πάθη vero Trabea et Atilius et Caecilius facile moverant." cf. Char. p. 215 Putsch.

Ex his paucis testimoniis vix aliquid certius et accuratius erui potest. Id autem comprobatum videtur, Atilium haud imparem fuisse excitandis affectibus, quod Varro l. c. diserte dicit; cui rei bene respondet fabula ejus μισογύνης, quae natura argumenti haud raro occasionem ad risum spectatorum captandum praebuit. Sed priusquam planius inquiramus, quibus causis permotus Sedigitus hunc locum ei concesserit, ad sextum canonis poetam transeamus necesse est.

6. Terentius.

Maxime semper viri docti mirati sunt, Terentium, magnum illum comicum latinum, quem veteres multis extulerunt laudibus, cujus fama et gloria nostra quoque aetate viget, a Volcatio Sedigito tam multis comicis posthabitum et in sextum tandem locum canonis esse relatum. Quae, ut visum est, Terentio allata injuria haud paucos permovit, ut hunc canonem atque judicium insulsum et putidum haberent. Nos vero partes Sedigiti suscipere et ea ratione, qua canon institutus sit, sextum inter comicos locum Terentio attributum esse merito, hisce ostendere aggrediamur, ita quidem, ut primum quae nobis tradita sunt de eo testimonia veterum et colligamus et proponamus, tum ut, quae ex ejus fabularum, quae supersunt, natura et indole nostram confirment sententiam, accuratius diligentiusque perspiciamus.

De Terentio multa veterum judicia, quamquam interdum diversa inter se, accepimus propter eximiam, qua semper florebat gloriam.

Cicero ep. ad Att. 7, 3:

„Secutus sum, non dico Caecilium (malus enim auctor latinitatis est), sed Terentium, cujus fabulae propter elegantiam sermonis putabantur a C. Laelio scribi."

Idem apud Donatum in vita Terentii:

„Tu quoque, qui solus, lecto sermone Terenti,
Conversum expressumque latina voce Menandrum
In medio populi sedatis vocibus effers
Quidquid come loquens atque omnia dulcia dicens."

Varro apud Gell. VII, 13:

„Exemplum Varro esse dicit ubertatis Pacuvium, gracilitatis Lucilium, mediocritatis Terentium."

Idem ad Charis. p. 215:

„ἤθη, ut ait Varro de latino sermone, nulli alii servare convenit, quam Titinio et Terentio."

Idem apud Nonium p. 374:

„In ἤθεσιν Terentius poscit palmam."

Jul. Caesar apud Donat. in vit. Terent.:

„Tu quoque, tu in summis o dimidiate Menander
Poneris et merito, puri sermonis amator.
Lenibus atque utinam scriptis adjuncta foret vis
Comica, ut aequato virtus polleret honore

Cum Graecis, neve hac despectus parte jaceres.
Unum hoc maceror et doleo tibi deesse, Terenti."

Afranius in Compit. (vit Terent.):

„Terentio non similem dices quempiam."

Ausonius in Protrept. ad Aus. nep.:

„Tu quoque, qui Latium lecto sermone Terenti
Comis et adstricto percurris pulpita socco,
Ad nova vix memorem diverbia coge senectam."

Servius ad Virg. Aen. I, v. 140:

„Sciendum tamen est, Terentium propter solam proprietatem omnibus comicis esse praepositum, quibus est, quantum ad cetera spectat, inferior."

Horat. ep. II, 1, 59:

„Dicitur
Vincere Caecilius gravitate, Terentius arte."

Ex his veterum testimoniis satis apparet, quanto in honore fuerit Terentius propter sermonis elegantiam, dulcedinem, lenitatem, puritatem atque omnes, quamquam, quem locum inter comicos obtineat, non consentiunt, unanimiter eum faciunt sermonis principem, qui non humillimo socco incedit, sed magna cura cultus et temperatus est. Quae dicendi laus quam justa et aequa sit, facillime cuique legenti Terentii fabulas persuasum erit, ut de hac re fusius loqui supersedere posse mihi videar. Hanc igitur praestantiam sermonis si Sedigitus in constituendo canone observasset, non dubium esse potest, quin non sextum tandem locum Terentio assignare potuisset, sed in primum locum eum referre debuisset.

Videmus porro Terentium utroque loco a Varrone laudatum propter ἤϑη (ad Char. p. 215 et ad Non. p. 374) vel quod mores et ingenia personarum in scena agentium optime composuerit et descripserit, quam laudem ei deberi ab aliis confirmatur. (Cic. apud Don. Aus.) Nam, quam laudat Servius l. c., Terentii proprietas nihil aliud significat, nisi praeclaram facultatem proprietates, quem nos dicimus characterem, juste et recte describendi, atque illa, qua Horatius Terentium vincere vult, ars sine dubio non solum, ut Schol. Acro ad hunc locum annotat, ad proprietatem verborum et

artis grammaticae, unde principatum inter comicos obtineat, referenda est, sed ad facultatem quoque, qua omnia a Terentio cum judicio, ratione atque cura agantur et tractentur, inprimis vita communis et artificiose compositum et stabile fixumque personarum ingenium effingatur.

Quibus gravissimis Terentii virtutibus sermonis et artis hominum naturam et mores eleganter vereque describendi cognitis, quarum si Sedigitus ex lege, quam in constituendo canone secutus est, rationem habere potuisset, non in sextum eum retulisset locum, exoritur denuo quaestio saepissime proposita, quae fuerit ejus rei causa, vel quaenam res defuerit Terentio, ut aliis comicis, quos sermonis laude et artis longe superavit, posthaberetur.

Considerantibus nobis illa, quae proposuimus, testimonia, J. Caesar l. c. rectam viam hanc difficultatem dissolvendi ostendere videtur, dum queritur, Terentio deesse vim [1] (comicam), quae si ejus fabulis inesset, fore, ut non despiceretur, sed eodem, quo graeci poetae, honore frueretur. Quid autem est vis illa? Ea est virtus, qua spectantium animi voluptate et hilaritate permoventur iisque vel invitis risus excutitur, quam virtutem Graeci πάϑος nominant. Eandem significationem affectus excitandi saepe apud veteres scriptores habet vocabulum vis, ut Cic. Brut. 23, 89. Quam vim in Terentio desiderari Varronis quoque apud Gell. VII, 13 et Ausonii l. c. testimoniis confirmatur. Nam illa Varronis mediocritate, quam Terentio vindicat quamque Graeci μεσότητα vocant, intelligitur praeclara illa Terentii facultas, qua non negligens quidem omnino commotionem animorum tamen non peculiarem et majorem operam in concitandis affectibus collocat. Quod minus miraberis considerans, teste s. Hieronymo ep. ad Pamm. 101. Terentium Menandri inprimis fabulas imitandas sibi sumpsisse, quem magna arte τὸ παϑητικὸν cum τῷ ἠϑικῷ conjunxisse scimus; quare a Plutarcho Compar. Menandri et Aristoph. p. 853 ejus poesis διὰ πολλῶν ἀγομένη παϑῶν καὶ

---

[1]) Fr. Aug. Wolfius Miscell. p. 452 vocabulum „comica" cum „virtus" conjungit, sed sensus hujus loci non mutatur.

ἠθῶν nominatur. Testis est nobis Evanthius, qui in commentatione de fabula dicit: „Illud est admirandum, quod Terentius et morem retinuit, ut comoediam scriberet, et affectum temperavit, ne in tragoediam transiliret. Quod cum aliis rebus minime obtentum et a Plauto et ab Afranio et Atta et multis fere magnis comicis invenimus.“ — Itaque neminem, qui hanc latinarum litterarum partem diligentius perscrutatus fuerit, fore spero, qui levitatis nos accuset, si pro certo habemus, Terentium in elaborandis suis fabulis Menandri facultatem, qua ille maxime valebat, morum et vitae vulgaris effingendae inprimis imitari studuisse. Est autem natura poesis, ut fabularum, quae dicuntur ἠθικαί vel moratae vel statariae, et sermonibus et actionibus major quaedam quies insit, quam iis, quae παθητικαί vel motoriae dicuntur, quum hae potissimum praeter argumenti tractionem et morum descriptionem dictionem quoque particularum et conjunctionum vinculis solutam gestu et actione corporis juvandam postulent. Per omnes autem Terentii fabulas tranquilla et sobria invenitur oratio, eodem fere semper cursu, eadem celeritate sine vehemente strepitu fluens. Optime igitur Terentio moratas scribenti fabulas conveniunt voces sedatae, quas laudat Cicero l. c. et scite eum adstricto socco pulpita percurrere dicit Ausonius l. c. id est: comoedias docere eleganter et cura et diligentia compositas. Cf. Horat Ep. II, 1, 174; Ars. poet. v. 80.

Quo magis id eluceat simulque, ut perspiciatur, quaenam praecipua dissimilitudo inter Terentium et poetas, qui tres priores locos obtinent, intercedat, paucis verbis de ejus poesis natura et indole, qualis apparet in ejus fabulis, agendum videtur.

Quum Macedonia subacta et Corintho deleta studium Graecarum rerum atque cognitio Romae magis magisque crescere et Romanorum nobilium ordines invadere et optimatum urbanitas multo distare ab imperitae plebis sensu coepisset, fieri non potuit, quin Terentius hoc ipso tempore natus, magnis ingenii facultatibus praeditus, studio disciplinarum Graecarum imbutus ususque consuetudine virorum illustrium (cf. Adelph. prol. 15. Cic. ad Att. 7, 3) illam, quam Naevius, Plautus, Caecilius in componendis fabulis adoptaverant rationem, relinqueret aliamque, quae accommodatior ipsius et amicorum litteris imbutorum esset ingenio, ingrederetur. Cf. Ladevicius Mus. Rhen. III, p. 180. Nam illi poetae, quoniam studio delectandi atque aurae popularis sibi comparandae gratia in retractandis Graecorum comoediis versabantur, Graeco colore et arte relicta, ea suis immiscebant fabulis, quae intelligebantur et voluptate sensuum affectuumque accipiebantur a Romanis atrocissima quaeque amantibus. Qua ratione artem illam, qua compositae erant Graecorum fabulae, perditam esse, neque tali modo mutatas vel potius depravatas comoedias placere potuisse viris, qui non ridendi, sed gaudii purioris percipiendi causa theatra visitarent, quis est, qui neget? Terentius igitur, quum hoc bene perspectum haberet atque paucis hominibus doctis placere et eruditis ac sapientibus potius voluptatem afferre mallet, quam plausum captare et risum movere plebis illiteratae — cujus ipse testis est, reprehendens Luscium, quod id sibi unum negotii putaret, ut, quas fecisset, fabulae populo placerent, (cf. Andr. prol. 2; Eunuch. prol. init.). — satis, spero, intelliges, quo jure quamque recto sensu Terentius id egerit, ut in palliatis suis comoediis Graecum et colorem et habitum et artem quam maxime conservaret.

Quod studium Terentii artis perfectioris apparet ex delectu quoque fabularum, quas sibi sumpsit imitandas. Nam Terentius prae ceteris Menandrum clarissimum poetam et elegantissimum novae comoediae secutus, fabulam artificiose et cum judicio disponit, actionis explicationem recte et fideliter tuetur, personarum, quas inducit in scenam, mores animique conditiones acute et recte delineatas videmus; sermo non tragicorum altissimo sed lyricorum spiritu fertur neque inconditis jocis dicteriisve ornatur, sed ita instructus est, ut quatuordecim ordines non offendat; ut breviter dicam: omnia ab illo ita sunt disposita et comparata, ut magis arti, quam rudi multitudinis sensui sufficiant. Hac de re videas Bernhard. H. litt. lat. p. 424; Momms. Hist. Rom. II, p. 433.

Quare, quum Terentius ad colorem et artem Graecam servandam propensior esset, ejus fabulae quam maxime acces-

serunt ad exemplaria Graeca, ut nonnullis Graecitatis ignorantiae causa mutatis aut nonnullis, quae minus apte dicta essent a Graecis et Romanis moribus convenienter, ad Romanorum vitam et eruditionem accommodatis, Graecam fere fabulam latine conversam nobis spectare vel legere videamur. Quae vero nova comoedia Attica quum in hominum moribus et ingeniis describendis versaretur, fieri non potuit, quin quae eam imitaretur comoedia latina eandem induceret naturam, et ut Graeca, ita et Terentii comoedia vere esset ἠθική vel morata. — Unde non mirum, quod plebs illiterata, quum Graecorum vitam quotidianam et mores parum cognosceret et ipsae comoediae Graecae, quas expressit Terentius, non ad voluptati et sensui plebis serviendum comparatae essent, ex elegentia illa Terentianarum comoediarum et vitae Atticae ratione a sua vita et moribus alienis, voluptatem capere non potuit, et funambulorum ludorumque spectacula majoris fecit, quam Terentii fabulas spectandas. Cujus rei testis est, quod vulgus, dum Hecyra Terentii agebatur, bis e theatro funambulos videndi causa decessisse compertum habemus, (cf. prol. ad Hecyr.) qua re nihil clarius nobis ostendit, quid vulgus in theatro quaesierit, et vim illam comicam, qua retineri posset plebs, Terentii comoediis defuisse.

Qua vi comica deficiente Sedigitus permotus videtur, ut Terentium in sextum referret locum.

De Terentio plura verba facienda putavimus, ut Sedigitum crimine injuriae huic comico illatae defenderemus, simulque quia, si suo loco Terentium positum intellexeris, permultum inde lucis in totum canonem illustrandum emanare arbitramur.

Hi tres poetae, Licinius, Atilius, Terentius secundam canonis classem constituunt, quod quum totus locus suadet, tum lucide apparebit horum comparatione facta cum illis, qui sequuntur poetis, Turpilio, Trabea, Luscio. Qua instituta quod discrimen quaeque lex hos ordines poetarum sejungat, in aperto erit.

7. Turpilius.

De vita Turpilii ejusque comoediis perpauca tradita sunt. Ex nonnullis titulis et fragmentis certum de ejus ingenio judicium expediri non potest. Constat autem eum prae ceteris Menandri imitatorem fuisse et non magna libertate fabulas Menandri tractasse, sed anxie exemplaria eum secutum esse, satis fragmentis evincitur. Cf. Ladevic. l. c. p. 18 et comoed. Turp. reliq. ed. Grautoffius. Bonnae 1853. Ott. Ribbeck. l. c. p. 73.

8. Trabea.

Hujus poetae Cicero aliquoties mentionem facit, Tusc. IV, 31; IV, 15; cf. Cic. ad famil. II, 9; IX, 21; de fin. II, 4, 13. — Praeterea teste Varrone apud Char. p. 215 Trabea facile movit τὰ πάθη, quae laus vivacitati sermonis et alacritati, quales reliquiis habentur, convenire videtur.

9. Luscius Lavinius.

Aequalis fuit Terentio ejusque adversarius. De eo nihil restat, nisi quae in prologis ad Terentii Andriam, Eunuchum, Heautontimorumenon, Phormionem leguntur duoque versus a Donato in prol. ad Eun. v. 10 reservati. —

Si comparaveris poetas Turpilium, Trabeam, Luscium, cum tribus, qui eos antecedunt, poetis: Licinio, Atilio, Terentio, ex ratione, qua ordinati sunt, Terentio Luscium respondere liquet. Qui Luscius, acerbissimus Terentii rivalis, huic vitio dedit, quod ex pluribus Graecis fabulis unam componeret latinam. Qua ex vituperatione id concludere nobis sine dubio licet, Luscium ipsum illa fabularum confusionis libertate non esse usum, unum exemplar Graecum eum secutum religioseque fabulae imitandae vestigia legisse, quod Terentius contra ei in vitium vertit dicens, bene et fideliter vertendo Luscium depravare Graecas fabulas. Utrumque autem poetam Sedigitus in fine ejus ordinis poetarum, cui quemque in-

sertum vult, collocans docet, utrique inter comicos, quorum in genere esset habendus, infimum deberi locum.

Trabeam, qui in hujus tertii ordinis secundo loco ponitur, facultate commovendi τὰ πάϑη insignem fuisse testimonio Varronis apud Char. p. 215 scimus, quod eodem loco de Atilio quoque, qui secundi ordinis eundem alterum locum obtinet, laudatur; eos autem, quamvis eadem laude gaudeant, tamen aliqua re diversos inter se fuisse statuamus ea de causa necesse est, quod tam remotum honoris locum obtinent. Quum inter Luscium et Terentium, Trabeam et Atilium similitudo quaedam intercedat, summo jure colligere possumus, Turpilium quoque et Licinium vinculo quodam similitudinis conjunctos esse, atque Turpilium et Licinium principes fuisse generis cujusdam comoediae, quo Luscius et Terentius minimam adepti sint gloriam. — Hoc igitur modo sex ultimos canonis poetas (de Ennio postea) in duos ordines redactos et totum canonem in tres divisos habemus.

Oritur nunc gravissima illa quaestio, quo jure quaque ratione Sedigitus tales ordines poetarum instituere, quo jure cuique locum, quem teneat, assignare potuerit, quaque re hi ordines inter se differant.

Postquam Romani ad cognitionem rerum Graecarum pervenerunt iisque delectari coeperunt, ad Graecos confugerunt poetae latini et ab iis, quae Romae in scena agerentur, comoedias petierunt. Sed de Graecis comoediis, quas in manibus habebant, quid iis erat faciendum? Triplicem omnino videmus rationem, quam poetae latini in conscribendis suis fabulis adhibere potuerunt ac revera adhibuerunt. Potuerunt enim fabulas Graecas religiose vertere, vel ex diversis Graecis fabulis, quae iis placebant, excerpere et unam componere latinam, vel denique retento argumento et dispositione immiscere latinos mores et consuetudines. Vix est, cur secundam et tertiam rationem conjungi facile potuisse admoneamus. — Si canonis priores tres poetas consideramus, nobis perspicuum erit, quanto studio Caecilius, Plautus, Naevius comoedias suas, quas de Graecis sumpserunt, Romanorum consuetudini litterariae, qualis eo tempore erat, accommodare studuerint. Haud

enim ignorantes, quanto civium eruditio a Graecorum doctrina distaret et cognitione, simulque mores et ingenium utriusque populi bene perspicientes, ut captarent spectantium benevolentiam, tantam copiam rerum et morum latinorum fabulis immiscebant, ut, unde originem haberent, vix appareret, et confusione raro tamque occulte utebantur, ut vix sentiretur, sed omnia ita instructa et disposita cernebantur, ut facile πάϑη commoverentur, neve in peregrinos locos vel mores abriperentur spectatorum animi. Qua causa permoti tales res inserebant, quae acerbitate, gravitate facile animos tenere poterant, unde hi tres poetae studio illudendi et irridendi in aequalium vel ipsorum principum civitatis vitia invehebantur. Qua de re egregie dicit Cicero de re publica 4. apud s. August. de civit. dei II, 9:

„Quem illa (comoedia) non attigit, vel potius, quem non vexavit? Cui pepercit? Esto, populares homines improbos, in republica seditiosos, Cleonem, Cleophontem, Hyperbolum laesit. Patiamur (inquit); etsi ejusmodi cives a censore melius est, quam a poeta censeri; sed Periclem . . . violari versibus et agi in scena non plus decuit, quam si Plautus noster voluisset aut Naevius P. et Cn. Scipioni aut Caecilius M. Catoni maledicere. — Judiciis enim magistratuum, disceptationibus legitimis propositam vitam non poetarum ingeniis habere debemus; nec probrum audire, nisi ea lege, ut respondere liceat et judicio defendere.“

Quibus omnibus permovemur, ut non tam arti, quam voluptati et sensui spectantium illos serviisse et unicum eorum finem fuisse τὰ πάϑη commovere credamus, quo maximam inter aequales consecuti sunt laudem.

His tribus comicis latinis mortuis quum magis magisque Graecarum rerum studium Romanorum animos penetraret ab Licinii inde temporibus comici latini id sibi datum negotii putasse videntur, ut in conscribendis suis comoediis plura Graeca exemplaria ante oculos haberent atque ex unaquaque, quae apta viderentur, eligentes tales efficerent fabulas, quibus temporum, rerum hominumque morum et naturae praeclaram imaginem spectatoribus exhiberent simulque commoverent et

excitarent animos. Licinius autem et Atilius in hoc novo genere nondum plane acquievisse, sed, ut majores poetae, principem comoediae finem in commotione et perturbatione animorum posuisse videntur, quum Varro apud Char. l. c. Atilium πάθεσιν valuisse aperte dicat, quamquam ejus sermo a Cicerone vituperatur, (cf. de fin. I, 2, et ad Attic. XIV, 20) atque poeta ille durissimus eleganti, sed destituto vi comica Terentio proponatur. Unde elucet, qua ratione summus Graecorum artis et admirator et aemulator, ultimum horum obtineat locum Terentius, qui id agit, ut moribus ingeniisque hominum depingendis et arte et sermone elegantem efficiat comoediam.

Omnes, quos commemoravimus, poetae conjungendi plures fabulas libertate usi sunt; sed ut saepe fit, sic etiam eadem aetate altera huic contraria ratio exorta et culta videtur, quae unam tantum fabulam imitandam sibi proposuit, quod hujusmodi comici hoc modo comoediam elegantiorem sese reddituros sperabant. [1] Quamquam ad hanc nostram sententiam evidenter confirmandam diserta testimonia desiderantur, tamen ad hoc credendum facile inducimur eo, quod Turpilium, Trabeam Lusciumque in suis fabulis Graecorum vestigia anxietate quadam legisse cognovimus, neque eos fideliter vertentes plures Graecas comoedias in unam latinam conflare ausos esse putamus. Neque tamen haec est nostra opinio, illos viros in suis comoediis conscribendis nihil aliud egisse, nisi ut religiose et anxie verbum de verbo exprimerent et nihil addere vel demere exemplari Graeco ausos fuisse, sed potius et voluntatem et voluptatem respicientes civium, nonnulla, quae accepta fore Romanis sperarent, addidisse, aliaque, quae minus apta latinis oculis et auribus viderentur, omisisse. Nam Trabeam πάθη commovere studuisse, Varronis testimonio

[1]) Cf. Grauert hist.-phil. Analect. p. 207: Im Zeitalter des Terenz hatte die Nachahmung der Griechen vorzüglich durch Ennius sich so sehr erweitert und alles Nationale in der Litteratur zurückgedrängt, dass manche nur ein vollständiges Uebertragen der griechischen Muster für richtig hielten und jede freie Bearbeitung verwarfen; solche beschränkte Menschen waren die Gegner des Terenz, gegen die er nur mit fortwährender Polemik sich behaupten konnte.

comprobatum est, Luscium operam dedisse, ut comoediae suae placerent populo, Terentius docet l. c., atque Turpilium unam fabulam Graecam secutum addendo et demendo haud inepte voluptatem et delectationem injecisse spectatoribus, verisimillimum habemus neque profecto, quid huic sententiae obstet, videmus. —

Dicet forsitan aliquis, si Sedigitus in constituendo comicorum ordine facultatem τὸ πάθος commovendi respexisset, Terentio inferiorem, quam Turpilio et Trabeae, honoris locum deberi, quippe quibus vis comica, quae Terentium deficiat, affuerit; nam si hanc unicam sibi sumpsisset regulam Sedigitus, constituendi comicorum ordinem, aliarum rerum praestantiae et elegantiae, quibus Terentius enituisset, rationem habere ei non licuisse.

Videtur sane jure suo superiorem locum obtinere Terentius, si hanc, quam statuimus legem, secutus est vere Sedigitus. Res igitur uberius explananda est; auctorem nostrum crimine facilitatis et inconstantiae liberare conaturi, poetas, qui Terentio postponuntur, consideremus et ab Ennio ultimo ordiamur.

Scimus, Ennium tragoedias et comoedias scripsisse; comoediarum nihil nisi tres versus restant, atque de ratione, quam in iis scribendis adhibuerit, nihil a veteribus traditum; tragoedias vero e Graecis versas tradit Gellius lib. XI, cap. 4 dicens: „Versus Euripidis Q. Ennius, quum ejus tragoedias verteret, non sane incommode aemulatus est.“ Quodsi t r a g o e d i a s vertebat Graecas, quid obstet, quin et c o m o e d i a s e Graecis eum vertisse putemus? Ut juventutem in cognitionem rerum Graecarum induceret Liv. Andronicus, librumque haberet quo uteretur ad docendam poesin epicam, Homeri Odysseam vertit neque sine causa nos suspicari putamus, aequalem fere Ennium comoedias vertere conatum esse, ut studium et cognitio theatri Graeci inter Romanos pervulgaretur. Quae res si ita se habent et Ennium religiose et anxie comoedias Graecas vertisse recte statuimus, suo jure in recensu comicorum ultimum obtinet locum. Nam serviliter premendo exemplaria Graeca et vertendo nullum certe ei debetur meri-

tum nullaque laus neque bonae descriptionis morum, animi vitaeque neque commotionis affectuum.

Hunc sequuntur ii, qui, quamquam similiter unum exemplar Graecum imitantur, tamen non serviliter in verbis haerent, sed libertate quadam utentes in vertendis fabulis certum sibi proponunt finem, quem ut assequantur, non pauca mutare coguntur. Cujus generis poetarum (Turpilius, Trabea, Luscius) sententia Sedigiti minima laude dignus habetur, qui morum et temporum imaginem fabulis exprimere, is autem, qui demendo et addendo e proprio ingenio spectantium tenere animos et commovere studet, princeps judicatur. —

Haec via comoedias conscribendi aliis comicis nimis arta et angusta est visa neque consiliis suis satis apta, quare non mirandum, quod plures Graecorum comoedias adoptaverunt, unde, quidquid placebat, elegerunt atque in unam novam comoediam latinam congesserunt. In eorum numerum refert Sedigitus Licinium, Atilium, Terentium, quos fabularum confusione usos supra docuimus. Quomodo poetis multum profecisse in aperto est, quum vincula, quibus ab aliis comicis erat inclusa comoedia, magis abjicerent suaque ipsorum indoli et ingenio magis confidere coepissent. Quod considerantibus, ut, unde profecti sumus revertamur, Terentius majore sane laude et honore dignus videtur, quam Turpilius et Trabea, quod naturam poesis rectius perspiciens et ingenio adjutus latioribus finibus coercuit et ad altiorem perfectionis gradum comoediam provexit.

Canonem igitur nostrum si invertas, facile, opinor, intelliges comoediae palliatae originem et progressus a primis incunabulis usque ad florem perduci et proponi a Sedigito. Nam incipiens ab Ennio, (cui honoris atque gloriae tantum causa, qua fuit apud Romanos, non tam propter comoediarum, quam propter tragoediarum, inprimis annalium suorum merita inter comicos conceditur locus) qui vertendo Graecas fabulas docuit, eos profert poetas, qui, quamquam, ut Ennius, unam fabulam Graecam imitandam sumpserunt, tamen non solum bene vertendi, sed etiam alium sibi proposuerunt finem et assequi studuerunt. Nam Luscius majore religione sequens

unam Graecam comoediam morum descriptionem et vitae vulgaris quam accuratissimam imaginem ante oculos ponere conatur; quo fit, ut ejus comoediae ἠθικαί vel moratae haberi possint; Trabea vero, qui in medio est, affectus vel πάθη quoque spectatorum spectat praeter descriptionem morum et hominum; Turpilius denique τὸ ἦθος omnino negligens summum comoediae finem ponit in commovendis affectibus vel τοῖς πάθεσιν.

Deinde majore jam laude digni habentur, qui sequuntur, Terentius, Atilius, Licinius, quod ad altiorem perfectionem comoediae palliatae contendentes *plura* exemplaria Graeca adhibuerunt, et eligentes ex unoquoque, quae apta videbantur, novam comoediam latinam condiderunt. Hoc quoque in genere, qui in describendis moribus vel ἤθεσιν versatur, infimum obtinet locum et non miramur, quod Terentium, poetam laudatissimum et certe laude dignissimum magis ignotis comicis posthabitum videmus. Atilius jam πάθη commovenda curavit, et non temere nobis concludere videmur, Licinium, qui primus inter hos ponitur, iis *solis* studuisse ideoque principatum obtinere.

Facile autem intelligitur, comoediam palliatam ad altiorem perfectionis gradum perduci posse. Non enim ignoramus, ea, quae e medio populo prodeunt, ejus cognitionem et doctrinam non excedunt, ipsius tempora, mores, homines attingunt neque mentes in regiones ignotas avolare cogunt, voluptati et sensui plebis maxime arridere et satisfacere. Ex quo satis perspicitur, non summum perfectionis gradum comoediae palliatae poetas, quos adhuc diximus, assecutos esse, sed summam laudem iis convenire, qui sive *unam* sive *plures* comoedias Graecorum imitantes, quae personis agentibus in scena et locis et temporibus, quibus aguntur, apta sunt, ita accommodant et inserunt suis fabulis, ut spectatores vel spatio vel tempore vel eruditione moribusque a se aliena conspicere non credant, quum ea maxime placere soleant, quae ipsorum spectantium ingenio conditionibus et rebus publicis privatisque conveniunt, ita quidem, ut poetam alieni populi fabulam imitandam sumpsisse et elaboratam praebere oculis, vix sit, qui su-

spicetur. Huc contendisse Caecilium, Plautum, Naevium supra docuimus atque inprimis hanc laudem deberi Plauto constat, quum ejus fabulae ex quibus Graecis sumptae et petitae sint, saepe acerrime viri docti dissentiant, et idem Plautus quanto studio Romanos mores suis fabulis inculcaverit, omnia vitaverit, quae spectatorum animos ex Romanorum vitae vulgaris ambitu abripere possent, diligenter ejus comoedias legentem non fugiet. Qua vero lege Caecilius, Plautus, Naevius ordinati sint quoque jure suum quisque obtineat locum honoris, jam supra uberius explicavimus.

Maxime igitur florebat comoedia palliata studio commotionis animorum et affectuum, postea vero, quum Romani rebus et litteris Graecis magis essent imbuti atque arte delectari coepissent, comici latini illam rudiorem sane vim, qua attrahebant et tenebant spectatores, deserere et arti operam dare incipiebant, unde factum est, ut, quo magis arti servirent, eo magis τὸ πάθος, quod Romanae plebis eruditio et natura desiderabat, omitterent. Quae comoediae artificiosius comparatae, deficiente quoque poetas ingenio et indole vere poetica, plebis votis non sufficiebant, quare eorum ex comoediis fragmenta tantum conservata putamus.

Si igitur, quae adhuc disputavimus de canone, respicias et conferas, negari non posse confidimus, certam rationem in ordinandis comicis Sedigitum observasse; quae quidem ratio artissime conjuncta est cum primordio et progressu comoediae palliatae. Canonem in tres, vel, si Ennium respici vis, in quatuor partes dividimus, quae ternos amplectuntur poetas, atque in unaquaque parte ordinati sunt comici ex facultate commovendi τὸ πάθος. Cujusvis igitur ordinis infimus poeta initium, medius progressum, summus hujus generis comoediae florem ostendit. Habemus hoc modo additis cujusvis praecipuis proprietatibus hos ordines:

I. Ennius: qui, quum fideliter verteret, cognitione comoediae Graecae magis imbuere Romanos studuit.

II. Luscius, Trabea, Turpilius: unam novam Atticam comoediam sequuntur, sed alius alium appetens finem.

III. Terentius, Atilius, Licinius: plures comoedias Atticas sequuntur, sed diverso fine vel τῶν παθῶν vel τῶν ἠθῶν.

IV. Naevius, Plautus, Caecilius: Atticas comoedias vel unam vel plures sequentes Romanorum inprimis mores et res respiciunt aut temporis sui imaginem proponendi aut delectandi solum causa populum. —

Priusquam disputandi finem faciamus, nostram dissertationem breviter respicere atque nonnulla, quae notatione digna videntur, addere nobis liceat, ut uno obtutu originem et progressum totius latinae comoediae palliatae perspiciamus.

Considerantes litteras latinas id admiramur, quod tres antiquissimos comicos comoediam latinam ad summam, quam apud Romanos unquam assecuta est, videmus gloriam et perfectionem evexisse, atque negare non possumus hos ipsos poetas viam ingressos esse, qua sola comoedia ad perfectionem perduci potuit. Quae eorum ratio eo consistit, ut Graecas comoedias haud omittentes quidem, tamen summa cura multas res ex Romanorum vita et moribus petitas fabulis immiscerent atque suas comoedias ingenio eruditionique ejus temporis Romanorum quam maxime accommodare conarentur. Plautus, Naevius, Caecilius quanto studio fabulis, quae Romanorum indoli et moribus propria erant, inserere studuerint, jam antea exposuimus. — Sed haud ita multo post vel ipsa eorum extrema aetate haec via, quam ingressi erant, ab aliis comicis derelicta videtur, atque, quum Graecarum litterarum et rerum cognitio magis magisque Romam penetraret, hujus temporis poetae ea ipsa re commoti videntur, ut illam, quam in Graecis admirabantur, perfectionem in latinam comoediam transferre conarentur. Quae quum ita essent atque illis comicis recte esset persuasum, comoedias Graecas ad verbum expressas non posse placere civibus, facile adducebantur, ut ex diversis Graecorum fabulis partes colligerent atque in unam latinam comoediam conflarent. Hoc vero modo factum est, ut, quem appetebant, finem non assequerentur. Nam non ad veram perfectionem, sed ad maturitatem quandam festinatam perducebant comoediam, quam ob causam latinam comoediam mox e fastigio, ad quod per Naevium, Plautum, Caecilium elata erat, delabi cognoscimus.

Ne quis putet, nos Terentio, maximo illi comico, non impertire debitam laudem, id addendum est, ab illo, quamvis Naevium, Plautum, Caecilium arte fabularum, elegantia, puritate sermonis superet, tamen eas ipsas res, quibus solis comoedia latina perfici et placere potuit, omissas et neglectas esse. Primum Terentius argumentum vel materiam fabularum non ex Romanorum vita et rerum conditione petiit, tum Romanorum indolis, naturae, eruditionis illius temporis parum rationem habuit. Naevius, Plautus, Caecilius omnia, quae Graecas res et doctrinam redolent, fugiunt, publicas privatasque res Romanas perstringunt, latina nomina, latinos titulos, latina loca adhibent; a comicis vero sequentis temporis, imprimis a Terentio omnia hujusmodi, quae Graeca exemplaria produnt, reservata invenimus. Qua ratione comoedia admiratione quidem digna et arte insignis, sed non Romanorum naturae peculiari et indoli conveniens oriebatur, atque fieri non potuit, quin et latina comoedia, quo magis perfectionem et naturam Graecae sibi vindicaret, latinam indolem, latinos mores negligeret, eo minus populo placeret et hebesceret; unde non mirum, quod laude, quam per se meruit, carebat et a Romanorum ratione et sensu abhorrebat. Quo etiam factum putamus, ut ii poetae, quibus unum tantum exemplar ad imitandum propositum esse cognovimus, minime votis populi sufficerent et haud magno essent in honore.

Quo comoediae genere tum demum delectari potuerunt, postquam Graecorum litteris satis erant instructi, omnesque ingenii et artium copiae, ut ita dicam, in succum et sanguinem transierant. Quod quum tempore, quo vivebant Terentius ejusque aequales, nondum Romanis contigisset, voluptatem, quam exoptabant, ex comoediis Graeco more instructis non capiebant.

This book is due two weeks from the last date stamped below, and if not returned at or before that time a fine of five cents a day will be incurred.
